

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Tractatus Philosophico-Theologicus**

**Posewitz, Johann Heinrich**

**Quedlinburgi, 1660**

[urn:nbn:de:bsz:31-128962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128962)



60A 2690 R

Sum  
M. Caroli.



TRACTATUS  
PHILOSOPHICO-  
THEOLOGICUS,

IN 2<sup>VO</sup>

Principia Philosophica commu-  
niora succinctè & breviter traduntur, per Limitationes  
& Objectiones perspicuè explicantur, imprimis autem  
quæstionibus & controversiis Theologicis appli-  
cantur, in usum Phil. & Theolog.  
Studiof.

CONSCRIPTUS

AUTORE

M. JOHANNE HENRICO POSVITZ,  
VVERNIGERODANO  
SAXONE.



QVEDLINBURGI,

Typis JOHANNIS Oeckelij,

ANNO MDCC LX.

30.



TRACTATUS

IN

... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..

... ..

... ..

20



licet a  
videar,  
uratio  
necessa  
ipsa id  
mentis  
entra d  
rō edo  
integri  
Philoso  
quam l  
firunic  
peccar  
ultimu  
necessi  
ita ver  
dum e  
si eter  
Minor  
meditat





AD LECTOREM

Præloquium.



Vtilissimum & summè necessarium esse studium Philosophiæ omnibus imprimis Theologiæ studiosis, si non omnibus, plerisque tamen & sapientioribus extra dubitationis aleam positum est. Et ut licet, si id pluribus nunc ostendere ferret animus far amplius hic dicendi campus se offerret,

licet tamen, ne soli quod ajunt lucem scenerari & actum agere videar, mihi esse breviori. Et 1. Utile esse Philosophiam nõ est, ut rationibus operosè demonstratum eam, & tanto minús id necessarium esse existimo, quanto clarius vel me racente, res ipsa id eloquitur. Testentur de eo qui probè jactis fundamentis Theologiæ studium & operam suam addixerút. Experimenta docet quod dubium & nodum quem hic Philosophiam nõ edocto multa dicendo solvere conatur, ut solutionem sæpè integris paginis ampliet, & tamen non solvit, alter accuratioris Philosophiæ gnarus, unâ sæpè distinctione non minús scitè quam succinctè, accuratè, & feliciter solvere calleat: Exemplo sit unicum illud dubium: Reformati hominem necessariò peccare statuunt & inter rationes & argumenta ipsorum non ultimum est quod sumunt à præscientiâ divinâ, quam homini necessitatem peccandi inferre falso sibi persuasum habent.

Ita verò argumentari solent. *si DEUS ab aeterno necessario præscivit Adamũ & quosque alios homines peccaturos necessario quosq. peccabunt. Sed DEUS ab aeterno necessario præscivit Adamum & plures alios homines peccaturos Ergo? Minor in confesso est, Major probatur per Regulam: Quando conditionalis est vera, si antecedens est necessarium etiam consequens erit necessarium,*

); ( 2

Ad



Ad dubium hoc responsiones plures quidem & satis prolixas minus tamen accuratas sæpè & passim invenies. Egregiè verò & felicissimè ad hoc dubium respondet & id solvit Philosophus, unica distinctione inter *necessarium ex intrinseca terminorum connexionione, & necessarium ex suppositione*. Nam major falsa, probatio autem ejus nulla est, quia in adducto axiomatico intelligitur per antecedens necessarium quod est tale ex intrinseca terminorum connexionione, quale præscientia divina non est. *Vid. pag. 75.* Utilitatem ergò Philosophiæ in Theologiâ vel unicum hoc exemplum cuiusvis fatis ob oculos ponit. Necessitatem nunc porrò & II. demonstrare pariter difficile non est. & I. Sine Philosophiâ Theologus non intelliget multos & varios terminos in quæstionibus Theologicis occurrentes ut sunt: *Ens, Essentia, Natura, Naturale, Attributum, Unum, Verum, Bonum, Simplex, Compositum, Potentia naturalis, Obedientialis, Actus, Creatio, Singulare, Universale, Persona, Subsistentia, Idem, Diversum, distinctio Realis & Rationis, Principium & Principiatum, Causa Causatum, Causa efficiens, Universalis, Particularis, Mediate, Immediata, Subiectum, Adjectivum, Subsistentia, Accidens, Relatio, Habitus, Prædicatio, Intellectus, Intelligere, Species, Voluntas, Libertas, Exercitium & contrarietas*. Taceo plures alios. Et his terminis non intellectis nec ipsas quæstiones Theolog. in quibus occurrunt intelliget, nempe, sequentes: I. *An Deus possit dici ens, quod negarunt Mirandulanus & Scaliger? Vid. pag. 33.* II. *An justitia originalis fuerit Donum Naturale an Supernaturale? III. An Deus sit Essentia Simplex quod negat Vorstius? Vid. pag. 65.* IV. *An attributa divina tum inter se tum ab Essentiâ divina distinguantur realiter an ratione? V. An una vel duplex sit Veritas, & alia Veritas Philosophica alia Theologica? VI. An in Uxore Loth, quod potuit converti in statuam Salis, Gen. 19, Et in baculo Aharonis ex quo projecto Draco factus est, Exod. 7, fuerit potentia naturalis an obedientialis? VII. An Apostoli ad Donum diversarum linguarum recipiendum habuerint naturalem, an verò obedientialem potentiam? VIII. An omnis natura singularis habeat propriam subsistentiam ita ut hac sine illâ, & illa sine hac nunquam possit esse, & an in Christo sint dua persona? IX. An una subsistentia duas possit terminare naturas, & an humana natura Christi potuerit assumi in personam & subsistentiam Χϋϋ. X. Quid in mysterio Trinitatis ubi tres consistunt personæ vocabulum Persona significet an nudam subsistentiam, ut quidam volunt, an verò etiam simul naturam includat? XI. An Pater in divinis post se dicit Principium Filii? pag. 23 & 32. XII. An Filius in divinis possit dici Principiatum Patris? pag. 33. XIII. An Deus cum his inferioribus concurrat influxu generali an particulari? pag. 30. XIV. An Deus Mediatè cum his inferioribus, an immediatè & si immèdiate an immèdiatione virtutis tantum, an vero immèdiatione suppositis quoque concurrat? pag. 30. XV. An Homo levi creatu-*



*rap. sit esse causa creationis, si non Principalis sed instrumentalis? XVI. An Sacramenta causent moraliter an Physice? XVII. An caro Christi possit dici adjunctum λόγος? pag. 64. XVIII. An peccatum originale sit ipsa substantia hominum? XIX. An accidentia Panis in S. Cena possint auferri substantia Panis? XX. Quomodo Relationes divinae distinguantur tum inter se tum ab essentia divina? pag. 69. XXI. An Theologia, sit habitus practicus an Theoreticus, an vero mixtus? XXII. An in Apostoli donum miraculorum fuerit habituale, & si habitum habuerint an eo moraliter an Physice infuserint in agrotorum sanationem & mortuorum resurrectionem? XXIII. An Prædicationes personales & Sacramentales sint accidentales & usitatae, an vero in usitatae? XXIV. An Angeli intelligant se ipsas immediate & absque speciebus & res alias mediate per species & an per congenitas? XXV. An intellectus ad visionem beatificam concurrat virtute naturalis ut naturalis est, us quidam volunt? XXVI. An homo in Spirituibus habeat libertatem quandam vel contrarietatis vel exercitij? Has est innumeras alias quaestiones quas nunc sciens & volens sicco pede prætereo nemo intelligere poterit qui non accuratam habuerit terminorum in illis occurrentium cognitionem? II. Non intelliget plura & varia principia & axiomata Philosophica, & ut nihil nunc dicam de formalibus principiis qualia sunt à quibus structura syllogistica & vis illationis dependet, quæ ita necessaria sunt, ut sine iis ne argumentum quidem conficiatur vel enim adversario super quaestionibus fidei disputari possit, non intelliget materialia, quæ ad argumentum concurrunt dum vel præmissarum locum subeunt, vel alterutrius præmissæ probationem suppeditant, quorum cognitio summè necessaria est.*

Et I. Ea de causa, quod sine illorum principiorum cognitione argumenta plurima quibus orthoخي Theologi vel ad Sententiam confirmandam, vel ad adversarios confutandos, uti solent quorum sat multa reperiuntur, intelligi non possint ita I. Judæorum erronea opinio est, Duos Rabbinos super loco scripturæ disputantes & sibi invicem contradicentes, ambos verum dicere & utriusque verbum, esse verbum DEI viventis. Quæ sententia refutatur ex primo illo principio: *Impossibile est idem simul esse & non esse. pag. 2. II. Pontificiorum sententia, peccatum originale tolli in baptismo erroris convincitur ex Principio: Positio effectus in esse effectus & qui est ἐνέργεια ponitur causa. pag. 24. 3. Singulis ἀπόστολις & Calvinianorum error in communi, ut & Pontificiorum: Actiones & passiones Christi non utrique naturæ & toti supposito esse tribuendas, sed tantum illi naturæ cujus propriæ sunt, redarguitur per Regulam: *Actiones item & positiones sunt suppositivæ. Vid. pag. 37. 4.* Absurda illa opinio Pontifici-*



*ciorem, poculum à S. Coena posse auferri, dissolvitur & dilui-  
tur per Axioma: Sublata quaecumq; parte tollitur totum, p. 56. Cal-  
vinianorum sententia: Placentulas orbiculares quas vulgo  
Hostias S. oblatas appellare solemus, non esse verum Panem  
quæ ramentum verè Alimentum sunt ex farina & aqua benè inter  
se commixtis constans ita, ut crassiori humore per calorem  
externum absumto ad unam masticabilem consistentiam sit  
reductum; refellitur per Regulam: Cui competit definitio ei  
etiam competit definitum. pag. 62. 6. Eutyches hæresis circa per-  
sonam Christi in qua unam tantum statuit esse naturam confu-  
tatur ex regulâ: Quorum sunt diverse natura eorum etiam sunt di-  
verse proprietates & contrâ. pag. 67. Hæc & id genus argumen-  
ta alia quæ nunc silentio involvo, sine Philosophiæ & princi-  
piorum Philosophicorum cognitione nemo intelligit.*

II, Propterea quoq; necessaria est principiorum horum co-  
gnitio, quod sine eâ Abusus eorum animadverti & adversa-  
rii ex illis contra orthodoxos concludentes, iisque sententiam  
suam confirmantes, confutari nequeant. Et hoc sæpè  
fieri abundè exempla testantur. Ita 1. Calviniani doctrinam  
de communicatione idiomatum in Christo labefactare alla-  
borant per principia. *Impossibile est, idem esse & simul non esse pag. 41  
Qua easdem habent proprietates, eandem habent essentiam pag. 67. Et eorum qua sunt  
realiter idem, communicato uno necesse est communicari alterum. pag. 70.* 2. Qui-  
dam ex Pontificiis, in eâ sunt sententia Christum incarnandum  
fuisse, etiam si homo non peccasset, & probare id satagunt ex  
Regulâ: *Frustra est potentia quæ non traducitur in actum pag. 13.*  
3. Calviniani impiam illam sententiam: DEum esse causam  
peccati, confirmare conantur per Regulas: *Causa Causa, est etiam  
causa causati, p. 30. It. Omnis effectus per necedens reducitur ad causam per se pag. 36.*  
4. Pontificii sententiam suam: Potestatem Politicam esse sub-  
jectam potestati Ecclesiasticæ, corroborare adnituntur per  
Reg: *Cujus facultatis finis subordinatur fini alterius facultatis illa  
facultas alteri illi facultati subordinatur pag. 43.* 5. Reformati DE-  
um



um velle peccata, comprobant per Principium: *Qui vult finem vult etiam media ad finem pag. 47.* Item per Reg. *Qui vult causam vult quoque effectum. pag. 49.* 6. Jam nominati Calviniani s. Reformati: Humanam, naturam in Christo, Adjectum λόγος esse, & ita παράλογον Nestorianam adstruere tentant per Principium; *Quicquid advenit enti, illud est accidens. pag. 64.* 7. Pontificii, Fidem nostram salvificam, monstrosam fidem & Chimæram esse ostendere laborant ex Reg. *Unam numero accidens non potest esse in diversis subjectis pag. 66.* 8. Antirimitarii ex Principio: *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se pag. 68.* Et in specie Socinus ex Reg. *Opposita non possunt dici de eodem. pag. 71.* mysterium Trinitatis evertere obnixè student. 9. Calviniani libertatem hominis è medio tollere & contra necessitatem peccandi inducere attentant per Axioma: *Quando Conditionalis est vera, si antecedens est necessarium etiam consequens est necessarium. pag. 75.* Plura exempla quæ hic, tacemus, frequens lectio scriptorum Advers. suppedabit, allata hic sufficiant. Et ex hæcenus dictis non tantum utilissimam sed etiam summè necessariam esse Philosophiam Theologiæ studio additis non Oedipi & Argi tantum sed Davi quoque & Lippi videre & intelligere possunt. Plurimos nihilominus reperiri qui eam vel plane conremnant, vel nimis frigide tractent & ad sublimem Theologiam satis imparati properent notissimum est. Et quæ hujus rei tres potissimum causas esse intellexerim. Quidam enim Prolixitatè, Quidam Difficultatè, Quidam verò, Usum Philosophiæ in Theologiâ difficulter obtineri prætendunt; operæ pretium existimavi, si potiora quæ continet Philosophia breviter contraherentur perspicuè explicarentur eorumque usus in Theologiâ ostenderetur. Et hinc L. B. præsentem tractatum tibi communicare volui. In illo autem præcipuè usum principiorum Philosophicorum in Theologiâ ostendere intendi, & ut licet me non lateat L. B. id ante me alios præstitisse,



non tamen idcirco meam opellam frustraneam fore existimo, ex illis enim huc, vel nihil vel exiguum in meum usum transtu, li. Brevis hie fui, sed nec pagella plura capere potuerunt, brevi autem L. B. à me expectabis, Tractatum majorem, in quo totius ferè Philosophiæ usus in innumeris & Nobilissimis quæstionibus & controversiis ostendetur. Sinon satis accuratè in hoc tractatu quæstiones & controversias Theologicas pertractatas deprehenderis L. B. scias me intra octiduum fere illum confecisse & simul typis mandari curasse, latius verò & accuratius illas elaboratas invenies in promisso tractatu. Porro principia ipsa Philosophica hic pluribus explicare mihi non proposueram, limitationes eorum tantùm hic apponere & ipsis principiis includere volui. Et cum multi variè illa limitent in quibusdã non à paucis recessi ut L. B. observabis potissimum in *Reg. 1. cap. 1. Reg. 7. c. 2. Reg. 36. c. 3. Reg. 13. c. 13. Reg. 6. c. 14. Reg. 1. c. 15. &c.* Maximam partem verò secutus sum B. Sthalius, qui omnium optimè illa exposuit. Tu L. B. hunc qualemcunq; tractatum serena fronte accipe, illo mecum utere, Autorique fave, Vale.

*Sphalmata Typographica*

Potiora.

P. paginam, L. lineam denotat.

p. 3. l. 25. in Verbo homo nro in leg. p. 3. l. 11. post V. illa inseratur *regula*. p. 12. l. 2. in V. *sedet* a pro e leg. p. 12. l. 6. in V. *precedant* e pro æ leg. p. 14. l. 5. post V. *intrinsecus* inseratur. *Secundum ut ipsi sit extrinsecus*. p. 16. l. 5. in V. *passo* e redundat, p. 13. l. 11. in V. *divisione* o omissum. p. 21. l. 1. in V. *rectè* a pro e leg. p. 37. l. 3. in V. *denominatorum* m pro n. leg. p. 40. l. 12. in V. *quem* e pro a leg. p. 45. l. 19. pro V. *homo* leg. V. Sol. p. 45. pro V. *quatenus* leg. quantum. p. 47. l. 22. post V. *commissi* inserta leguntur Et ita illud velit. p. 50. l. 5. pro *operetur* leg. operatur. p. 55. l. 3. post V. *abstractum* V. *est* redundat, p. 71. l. 22. pro *est* leg. *est*, p. 76. l. 32. V. *limitata*, in fine deest *in*.

REGU.



❁❁ (T) ❁❁

REGULARUM PHI-  
LOSOPHICA-  
RUM  
CAPUT I.

DE  
Ente.

REG. I.

*Impossibile (etiam quoad potentiam Dei absolutam) est, Idem (sive sit Ens sive Non Ens, identitate reali, rationis, & virtuali) esse & simul (simultate non supra actum sed supra potentiam cadente, eodem modo, eodem respectu & secundum eandem partem,) non esse.*

OBJECTIO I.



Criptura dicit *Luc. 1:* *Apud DEum non est impossibile omne verbum.* Ergò DEUS etiam poterit facere, idem simul esse & non esse. *Respondeo: Plinius* In ea sententiâ fuit DEum non omnia posse, unde *l. 2. hist. natural. c. 7.* multa recenset quæ DEUS non possit. Verum rectius adseritur contrà *Plinium* DEUM esse omnipotentem & omnia posse, sicut etiam Scriptura Sacra c. l. satis clarè docet. Notandum tamèn est de qualibet potentia esse judicandum ex objecto. Cujuslibet autem potentia objectum est Possibile. Quia verò Possibile duplex est. Unum *Absolutè* tale, Alterum *cum apposto*. Primum, nempe quod absolutè tale est, potentia divina objectum est. Et hoc Possibile

A . com-



complectitur omnia quæcunque non involvunt contradictionem. Facere autem ut illa quæ sunt non sint, & quæ non sunt, sint, & si quæ id genus alia sunt quæ c. l. recenset *Plinius*, quia manifestam involvunt contradictionem, sub objecto potentiaæ divinæ, non continentur.

## OBJECTIO 2.

Judæi credunt, duos Rabbinos sibi contradicentes, ambos verum dicere. Videatur de hâc sententiâ Judæorum in *Talmudo Massecheth Erubin c. 1. fol. 13.* Resp. Hæc nugæ Judæorum sunt, & eadem facilitate quâ proferuntur, quoque rejiciuntur.

## OBJECTIO 3.

DEUS ea quoque potest quæ impossibilia sunt, nam *Luc. 1.* Maria dicit ad Angelum: *Quomodo erit istud?* seu hoc est impossibile. *Respondeo:* Multa DEUM posse & fecisse quæ hominibus impossibilia sunt & videntur, negari non potest, unde & Mariæ *Luc. 1.* impossibile visum fuisse quod ipsi annuntiatum fuit ab Angelo *Gabriele* credimus, negamus tamen illud in se & DEO fuisse impossibile, nam non statim quod Creaturæ & hominibus est & videtur impossibile DEO quoque & ἀλυσίως impossibile est, *Vid. Eph. 3.*

## OBJECTIO 4.

Essentia & Relatio in divinis sunt idem realiter, & tamen non solum quoad nostram concipiendi modum, sed ante omnem intellectus nostri operationem, illa est communicabilis, hæc Incommunicabilis. *Respondeo:* Essentia & Relatio in divinis sunt quidem idem realiter, virtualiter autem distinguuntur & exinde illa ante omnem actum intellectus est communicabilis hæc incommunicabilis. *Vide Rodericum de Acriagâ disp. Log. 5. sect. 4. subs. 1. num. 56. & Hurtadum de Mendozâ disp. Met. 5. sect. 10.*

OBJE-



## DE ENTE.

## OBJECTIO 5.

Justitia & Misericordia Dei realiter idem sunt, non tamen possum dicere, vel quod justitia DEI sit misericordia, vel misericordia DEI sit justitia ejus. *Respondeo:* Justitia & misericordia Dei sunt quidem idem realiter, non tamen quoque ratione, seu quoad modum nostrum concipiendi. Porro autem quod dicitur, Justitia Dei non est misericordia & Misericordia Dei non est justitia ejus, *dupliciter* potest intelligi 1. *In sensu identico.* 2. *In sensu formali.* Priori modo si intelligitur falsum est, nam quando misericordia & justitia divina sumuntur materialiter, & in sensu identico, verissimum est si dico; Misericordia divina est justitia divina. Et habet sensum ac si dicam: essentia divina quæ est misericordia, ea etiam est justitia. Quando verò posteriori modo sumuntur verum non est dicere; Misericordia Dei non est justitia & Justitia Dei non est misericordia ejus. Et ratio est, quia sensus formalis præter objectum etiam includit nostrum concipiendi modum. Intellectus autem noster ea etiam quæ simplicissimè idem sunt, sæpè concipit ut distincta, unde licet justitia & misericordia, Item bonitas & Sapientia Dei sint idem realiter, intellectus tamen aliam rationem format de Sapientia Dei, aliam de bonitate, aliam de justitia, aliam de misericordia ejus. *Vide Javellum Lib. 12. Met. quest. 19.* ubi de identitate & distinctione attributorum prolixè agit.

## OBJECTIO 6.

Si impossibile est idem simul esse & non esse, cadet liberum hominis arbitrium, nam hoc (nempe quod contradictionis & Exercitii vocatur) describitur, *quod eo hono possit agere & non agere.* *Respondeo:* Ly simul in regula nostra potest se tenere *ex parte possibilis vel potentia*, ut sensus sit, idem per eandem potentiam potest esse & non esse, ut v.g. Petrus per voluntatem potest sedere & non sedere, & potest se tenere *ex parte esse & non esse*, ut



sensus sit, possibile est ut idem, quando habet esse, non habeat esse. Priori in sensu, nim: quatenus ly *Simul* cadit supra *Potentiam* seu *possibile*, principium nostrum intelligi debet, non vero modo posteriori s. quatenus ly *Simul* cadit supra *actum*.

## OBJECTIO 7.

Christus minor patre *Joh. 14. v. 28.* & Servus ejus est *Es 53. Phil. 2.* & æqualis Patri s. unum cum Patre *Joh. 10.* *Respondeo:* non secundum eandem partem, hic fit oppositio: nam Christus minor est patre secundum humanam naturam, æqualis patri secundum divinam naturam. Unde B. Athanasius *Æqualis Patri secundum Divinitatem: minor secundum Humanitatem.* Ita Christus secundum divinam naturam est prior *Abrahamo, Joh. 8.* & non prior secundum humanam naturam. Secundum illam *omniana novit Col. 2. 3. Joh. 21. 17.* secundum *hanc* quædam ignorat, ut diem *Judicii Marc. 13.*

## OBJECTIO 8.

Abraham justificatus est ex operibus *Jacob. 2. 21.* Abraham non justificatus est ex operibus *Rom. 4. & 3.* *Respondeo:* Hic oppositio non fit eodem respectu, & justificatus est Abraham ex operibus, *respectu hominum,* non verò justificatus est ex operibus *respectu DEI,* nam Scriptura dicit *Rom. 4. 2. Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur sed non apud Deum.*

## OBJECTIO 9.

Proprium competit alicui Soli, & proprium non competit alicui Soli, nam propria & attributa divinæ naturæ competunt etiam naturæ humanæ. *Respondeo:* Oppositio non fit eodem modo, nam proprium uni Soli competit *ως τὸ πρῶτον* tanquam *primo subjecto* s. *immediate.* Non Soli, tanquam *subjecto secundo* & *mediate.* Ita propria divinæ naturæ etiam si communicentur humanæ naturæ in Christo, per hoc tamen non desinunt esse propria divinæ naturæ, quia Soli divinæ naturæ *ως τὸ πρῶτον* tan-



DE ENTE.

5  
 tanquam *subiecto primo & immediatè*, Humanæ autē naturæ κατὰ  
 ἄλλο & *mediatè* nempe mediante unione hypostaticâ, cōpetunt.

REGULA II.

*Quodlibet* (sive sit ens, sive non ens) *est, vel non est.*

OBJECTIO I.

**H**æc Regula eadem est cum præcedenti, Ergò malè ab illa  
 distinguitur. *Respondeo* *Javellus* 4. *Met. qu. 9. & Mendoza*  
*disp. Met. 3.* disputant, hoc principium idem esse cum priori.  
 Verum rectius cum *Fonscalib.* 4. *Met. c. 3. qu. un. sect. 1. Soario*  
*disp. Met. 3. sect. 3. & Svaretz Tom. 1. disput. Met. 3. sect. 3. n. 5.*  
 pro distinctis habemus, nam *illa* significat repugnantiam, *hæc*  
 verò simul immediationem, quæ duo valde differre patet, nam  
 aliud est, duo non posse convenire eidem subiecto, aliud est,  
 quod alterum eorum debeat necessariò convenire. Ita, verè  
 quidem dicimus, Album non potest esse nigrum, & qui videt  
 non est cœcus, non tamen dicere possumus, Quodlibet vel est  
 album vel nigrum, seu Quodlibet vel videt vel est cœcum, lapis  
 enim nec videt nec cœcus est.

REGULA III.

*Omne quod est, (vel non est) quando est, (vel non est) ne-*  
*cesse est esse, (vel non esse, necessitate immutabi-*  
*litate ex suppositione.)*

OBJECTIO I.

**S**omne quod est, necesse est esse, & omne quod non est, ne-  
 cesse est non esse, sequitur in rebus non dari contingentiam,  
 sive nihil esse vel non esse contingenter. *Respondeo.* Necessitas  
 est duplex: *Absoluta & Immutabilitate ex suppositione.* Illa secun-  
 dum *Gabrielem III. dist. XVI. quæst. 1.* est, cujus oppositum inclu-  
 dit contradictionem. Et secundum *Pererium* quæ simpliciter rei  
 convenit ex naturâ suâ & secundum omnem temporis diffe-  
 rentiam, ut hominem esse animal. *Hæc est & dicitur cum ali-*



quid rei convenit contingenter si ejus natura in se spectetur, factâ tamen, aliqua hypothesi non potest ipsi non convenire. Regula loquitur de priori necessitate. Ad argumentum respondeo: Antecedens posse *bisariam* intelligi 1. *In sensu diviso* qui hic est; omnem rem quæ est, necesse est esse, & omnem rem quæ non est, necesse est non esse. 2. *In sensu composito* qui hic est; omne quod est, quatenus est, vel posito quod sit, necesse est esse, Et omne quod non est quatenus non est necesse est non esse. Si priori modo antecedens intelligitur, falsum est, nec eo modo in regula sumitur. Sin autem posteriori modo accipitur verum est, sed tunc negatur consequentia, quia hæc necessitas est tantum hypothetica non verò absoluta, quæ non excludit contingentiam. *Dicitur*: Si hæc necessitas non excludit contingentiam sequitur quod res contingens etiam quando est possit esse & non esse, ex definitione contingentis, sed hoc falsum est, quoniam res contingens quando est, non potest esse quin sit, aliter contradictoria verificarentur de eodem. Ergò illa necessitas quæ immutabilitatis ex suppositione dicitur omninò excludit contingentiam. *Respondeo*: Res quæ contingens est etiam quando est, contingens manet in se & ex sua naturâ, prout autem est s. quatenus est determinata ad aliquam temporis differentiam, non est contingens sed necessaria, quæ necessitas tamen non tollit illam contingentiam quæ rei competit ex sua naturâ. Quod ergò dicitur sequi ex hoc rem quæ contingens est etiam quando est, posse esse & non esse, id verum est si modo rectè intelligatur. Verum autem est quatenus res quæ est contingens ex sua natura, etiam tunc quando est, ex sua natura habet, ut possit esse & non esse, falsum autem est, quod res quæ est contingens ex sua naturâ determinata que ad certum tempus possit esse est non esse prout est determinata ad aliquam temporis differentiam, neque hoc ex priori sequitur.

REGU.



## REGULA IV.

*Non entis* (h. e. non existentis, eo tempore quod per copulam vel prædicatum significatur,) *nulla sunt* (per affirmationem veram) *prædicata* (accidentalia, intrinsecè de nominantia, vel extrinsecè, nisi ab actu intellectus, phantasiæ, vel appetitus, positiva, vel privativa privantia formâ intrinsecâ.)

## OBJECTIO 1.

**A** B æterno vera fuit hæc propositio: Humana natura Christi patietur & tamen ab æterno non extitit humana natura Christi, sed fuit non ens. *Respondeo* pati non tribuitur hæc naturæ humanæ in Christo, prout hæc olim non extitit & fuit non ens, sed prout in tempore assumpta est, quod copula in verbo indicat.

## OBJECTIO 2.

Ab æterno vera fuit hæc propositio: Homo est animal & tamen ab æterno homo fuit non ens quia nullus homo ab æterno fuit sed in tempore demum homo à DEO productus est. *Respondeo* per prædicata in regula nostra intelliguntur tantum accidentalia prædicata, animal autem in adductâ propositione est prædicatum essentielle.

## OBJECTIO 3.

*Joh. 8.* dicit *Christus* ad Judæos: *Abraham* desideravit & gessivit videre diem meum, s. me in carne. Et tamen *Christus* tempore *Abrahami* nondum fuit, *Respondeo*: *Amari, desiderari,* & c. sunt accidentia extrinsecè denominantia ab actu appetitus, qualia ab hæc regulâ excluduntur.

## OBJECTIO 4.

C. I. *Christus* dicit: Et vidit, *Abraham* diem meum, & gavisus est, ex quo sequitur, quod non entis sint prædicata accidentalia extrinsecè, non quidem à sensibus internis sed externis



ut Visus, denominantia. *Christus* enim tempore *Abrahami* nondum fuit & tamen dicitur, quod illum viderit *Abraham*. *Respondeo*: Videre non solum, & semper de visione quæ fit oculis corporis, sed etiam sæpè de visione quæ fit intellectu, accipitur & tunc videre idem est, quod cognoscere & intelligere. Ita *Terenti. Adel. Act. 3. sc. 4.* *Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa qua futura sunt prospicere.*

## OBJECTIO 5.

Dies Extremus nondum est, & tamen dicitur incognitus, etiam *Christo*, puta secundum humanitatem. *Respondeo*: *Incognitus* est prædicatum accidentale, privativum, privans tantum forma extrinsecâ: quale in reg. nostrâ non attenditur.

## REGULA V.

*Essentia rerum* (quatenus talium) *sunt sicut numeri*  
(ut neque quid addere neque tollere possis.)

## OBJECTIO I.

**P**ars aliqua ab homine tolli potest ut v.g. brachium, pes &c. Ergo essentia hominis est divisibilis. *Respondeo*: Indivisibile aliquid *bifariam* dici potest 1. *Absolutè*, quomodo punctum est indivisibile. 2. *Certo modo*, ut aliquid non possit dividi ita, ut ipsum maneat. Priori modo non in universum verum est, Essentias rerum esse indivisibiles, secundum illos autem h. m. universaliter quoque vera est regula nostra, qui materiam partem substantiarum corporearum esse negant, & contra Formam totam essentiam esse defendunt, in quâ sententia *Hugo* fuit qui propterea *Christum* in triduo mortis hominem fuisse disputat, *lib. 1. de Sacramentis part. 2.* Posteriori modo omnium rerum essentia sunt indivisibiles. *Dicitis*: Brachium ab homine auferri potest ut maneat homo. *Respondeo*, manet quidem homo, sed non manet integer, quia fit mutilus.

OBJE-



## DE ENTE.

9

### OBJECTIO 2.

Fuerunt hæretici *Apollinæres* dicti, qui vixerunt circa seculum 4. à nato Christo, illi docuerunt Christum tantum adsumpsisse corpus, & animam *hpeniuev*, non verò animam quoque rationalem. Quod si verum est, ab homine aliquid potest auferri quod maximè ad essentiam ejus pertinet, ita ut maneat homo. *Respondeo*: contrà dictos hæreticos ex regulâ nostrâ potest disputari, nam quia Christus homo est, ad essentiam autem hominis necessariò requiritur anima rationalis, impossibile est Christum non adsumpsisse seu non habere animam rationalem, quia *essentia rerum consistunt in Indivisibilib.*

### OBJECTIO 3.

Accidentia adveniunt & auferuntur ab essentiis, salvis manentibus essentiis. *Resp*: Regula loquitur de indivisibilitate essentialium, accidentia autem non pertinent ad essentiam rerum, quia accidentia sunt, unde nec eorum adjectione vel subtractione essentia dividitur.

### REGULA VI.

*Essentia rerum sunt æternæ (s. æternè & necessariò cum rebus connexæ.)*

### OBJECTIO 1.

**S**OLUS DEUS est æternus, ergò non omnium rerum essentialia sunt æternæ. *Resp*: Hæc regula non intelligitur de *Esse* actuali, quasi nimirum omnes essentialia actu sint sine principio & fine, nam hoc modo solus DEUS est æternus, alio modo ergò intelligitur. *Et Gabriel Vasquez, p. 3. disp. 73. cap. 1. & Mendezæ c. l. per esse* hic intelligunt *esse Possibile*, quia essentialia rerum perpetuò & necessariò habent esse possibile. Communiter verò & à plerisque accipitur, de essentialia, cum eò, cujus est essentialia, connexionem, quæ perpetua est. Egregia verba sunt hanc in rem

B

quæ



quæ *Mendoza c. l.* habet quando ait Essentiam rebus convenire necessario, quia *DEUS volens producere hominem v. g. non potest ipsi tribuere essentiam lapidis, quia non faceret hominem sed lapidem.*

## OBJECTIO 2.

Fides essentialiter est notitia quædam, uti communiter docent Theologi, infantibus tamen quibus adscribitur fides non potest convenire notitia quia usu rationis destituuntur, aut ergò verum non erit, Infantes habere fidem, sicut volunt *Anabaptista & Calviniani*, aut falsum erit essentias rerum esse æternas. *Resp.* Falsum non est Infantes habere fidem, Christo enim placent *Marc. 10.* at *sine fide impossibile est DEO placere, Hsb. 11.* nec regula nostra fallit est, dicendum ergò, Infantes omninò habere notitiam, licet illam non habeant ab usu rationis, supernaturaliter enim à Spiritu S. infundi potest.

## REGULA VII.

*Non Entis (Falsi) nulla est scientia (positiva.)*

## OBJECTIO I.

**E**cclipsis futura est non ens, & tamen illa potest sciri. *Resp.* Non ens *dupliciter* hic considerari potest, 1. ut respondet simplici mentis operationi, quomodo non ens est, quod non est, vel non esse potest, 2. ut respondet compositioni & divisioni, ut sit idem quod falsum, Non ens posteriori modo hic sumitur. Ecclipsis futura autem est non Ens priori modo sumtum, & quando non ens ita sumitur, adhuc accipi potest, 1. ut opponitur Enti *Participialiter* sumto, & tunc non ens idem est quod ens actu non existens, 2. prout opponitur enti *Nominaliter* sumpto, & hoc modo non ens est, quod neque est neque esse potest. Si non ens hoc posteriori modo accipitur, ejus, nulla potest esse scientia, si autem priori modo sumitur, quo modo, etiam Ecclipsis futura est non ens, non entis datur quoque scientia.

OBJE-



DE ENTE.

OBJECTIO 2.

Demonstrat ipse *Philosophus* infinitum & vacuum nec dari actu nec dari posse. *Resp*: Non entis s. falsi non datur scientia *positiva* sed *privativa*, nempe id quod falsum est non possumus scire tanquam verum, nam si quis id quod falsum est verum arbitratur is non scientiam habet sed deceptionem & ignorantiam, Id autem quod falsum est possumus scire tanquam falsum. Et hoc modo *Aristoteles* docuit infinitum non dari. Eundem in modum Theologi tractant de Purgatorio tanquam de ficto & falso, nam si arbitrarentur illud esse, deciperentur.

CAPUT. II.

DE

Actu & potentiâ.

REGULA. I.

*A potentiâ ad actum sive à posse ad esse (affirmativè) non valet consequentia.*

OBJECTIO 1.

**D**Ocuerunt *Megarici* teste *Arist.* 9. *Met.* c. 3. text. 5. potentias non præcedere actus suos, sed tùm tantùm esse, quando actus eorum sunt, & illum qui operatur, tantum posse operari quando actu operatur. Quæ sententia si vera est regula nostra falsa est, nam hoc modo omninò à potentiâ ad actum consequentiâ perperua est. Verùm *resp.* non regula nostra sed sententia *Megaricorum* falsa est & refutat illam *Arist.* c. 1. aliquot argumentis, nam posita hâc sententiâ sequitur quod artifex non sit artifex nisi artem exerceat actu, & quando post horam iterum vult exercere novum habitum comparet. Porrò ignis non erit calidus, nisi actu comburat, imò

B 2

nihil



nihil futurum aut possibile erit, sed is qui stat semper stabit & sedens sedebit, quia impossibile hoc modo est, ut qui stat sedeat & sedat stet. *Vid. Arist. c. l.* Asserimus ergo contra dictos *Megaricos* omnem potentiam tum activam tum etiam passivam esse priores naturâ vel tempore suis actibus, nam licet tempore non semper potentia precedant actus suos sicut patet de potentia activa Solis illuminandi & passiva materiae primae naturâ tamen illos actus suos præcedere certum est. *Vid. Javellum lib. 9. Met. quest. 3. & Suarez. Disput. Met. 43. n. 14. & seq.*

## OBJECTIO 2.

Hæc consequentia firma est. *Chimera non est, ergo non potest esse.* *Respondeo:* Affirmativè à posse ad Esse non valet consequentia, bene autem negativè. *Dico:* nec sic valet, quia non sequitur. Omnis creatura potest non esse, ergo non est. *Resp.* Hæc consequentia non procedit à posse, ad esse negativè quia propositio antecedens non est negativa, quod patet, quia in illa particula negativa post ponitur copulæ quæ continetur in verbo *potest*, & sic illam non afficit.

## REGULA II.

*Ab actu ad potentiam sive ab esse ad posse esse (affirmativè & eodem servato tempore in antecedente & consequente) V. C.*

## OBJECTIO I.

**A**B actu ad potentiam non potest valere consequentia affirmativè, sunt enim opposita, & homo quando actu est non amplius est potentia, negativè ergo potius consequentia ab actu ad potentiam & contra procedit. *Resp.* aliud est habere potentiam s. posse esse & esse potentia. Ab esse actu ad esse potentia non valet consequentia affirmativè, valet autem ab esse actu ad habere potentiam, s. posse esse, ratio est, quia esse poten.



potentiâ excludit actum, & Esse actu contradictoriè opponitur. Posse esse verò s. habere potentiâ, actum nō negat sed ab eo abstrahit, & rûm cū actu rûm cum ejus negatione potest cōsistere.

## OBJECTIO 2.

Non sequitur Christus mortuus est, ergò potest mori, quia *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Rom. 6.* & Theologi hominis quoque status ita distinguunt ut in primo, nempe ante lapsum, *potuerit homo non mori.* In Secundo, nempe post lapsum, *non possit non mori.* In Tertio, nim. in altera vita ad quam etiam Christus translatus est, *non possit mori.* Resp. Reg. nostra vult ut in antecedente & consequente idem seruetur tēpus, unde nō rectè ita infertur, Christus mortu⁹ est, ergò potest mori, sed h. m. ergò Christus potuit mori.

## REGULA III.

*Cujus est (s. cui tribuitur) potentia, ejusdem est (s. eidem tribuitur) actus.*

## OBJECTIO 1.

**A**rist. expressè docet *lib. 9. Met. text. 16.* Actum non esse in agente sed in patiente. Resp. Aliud est *Ess. alicujus, & Esse in aliquo*, omnis actus illius est s. tribuitur ei, cujus est potētia, sed nō omnis actus in illo est, in quo est potētia, nam in quo est potentia passiva in eo quidē est actus, sicut etiam in illo in quo est potentia activa, actus est, si est actus immanens, non autem in eo in quo est potentia activa actus est, si transiens est actus.

## REGULA IV.

*Quod transit de potentia (passiva) ad actum (rei intrinsecum) mutatur.*

## OBJECTIO 1.

**D**eus ab æterno fuit in potentiâ ad creandum, ergò dum in tempore creavit, mutatus est. Resp. DEus non fuit in potentia passiva ad creandū, sed habuit creandi potentiâ activam.



## OBJECTIO 2.

Qui jam non videtur est in potentia passiva, ad videri, non tamen quando actu videtur, mutatur. *Respondeo: dupliciter* aliquid in actum de potentia passiva transire contingit, 1. ut actus rei, quæ erat in potentia, sit intrinsecus, ipsamque extrinsecè saltem denominet. In regula intelligitur actus rei intrinsecus, at videri est denominatio merè extrinseca.

## OBJECTIO 3.

Filius Dei ante incarnationem fuit in potentia homo, ergò quando actu postea factus est homo, mutatus est, quia actus ille ipsi quoque fuit intrinsecus. *Resp: Filius Dei non fuit in potentia passiva intrinseca ad fieri hominem, & licet receperit humanam naturam in se, non tamen recepit illam tanquam in subjectum, nam non naturali modo sed miraculoso illam assumpsit & sibi univit.*

## REGULA V.

*Qui potest majus (difficilius) potest etiam minus*  
(in eodem genere.)

## OBJECTIO 1.

**H**omo potest producere compositum, & non potest producere materiam primam, at compositum majus est materia prima minus. *Resp: aliud est compositum majus esse, materiam primam minus, aliud, producere compositum majus esse, & producere materiam primam minus, illud verum, hoc falsum est, quia majus & difficilius est producere materiam primam, quam producere compositum.*

## OBJECTIO 2.

Homo potest intelligere, & non potest volare, at volare est minus, majus autem intelligere. *Resp. volare est quidem minus, at non est minus illius quod est majus nempe intelligere, s. minus in majori non includitur, sed sunt hic disparata non enim ejusdem generis est volare, cujus est intelligere.* RE-



DE ACTU ET POTENTIA.

13

REGULA VI.

*Potentia non fertur extra (adæquatum)  
suum objectum.*

OBJECTIO I.

**D**Eus potest omnia, ergò etiam potest mori, edere, facere ut quæ sunt nō sint, futura quæ sunt sint præterita, quod hæc sub objecto ejus adæquato contineantur, quod est *Omnia*. *Resp: Tò Omnia* non dicit objectum potentiz divinæ adæquatum, nisi restringatur ad Possibilia absolutè, nam nihil sub ulla potentia continetur quod non in Possibilibus numero est, nam impossibilia eò quod talia sunt sub nullam potentiam cadunt, mori autem, edere imperfectionem important & in DEUM, qui perfectissimus est, cadere nequeunt, quia implicat, esse perfectissimum, & tamen esse imperfectum, ita cætera, quia impossibilia sunt, sub potentiam DEI non cadunt, non tamen propterea potentia DEI imperfectionis accusanda est, sicut insulsè crepant: *Norsius & Plinius.*

OBJECTIO 2.

Ex hæc regulâ sequitur beatos non esse visiros DEUM oculis corporeis, quia potentiz visivæ objectum adæquatum est *Lux & Color* s. *Color tantum*, quia quicquid videtur sub aliquo colore videtur. *Resp: illud* ex hæc regulâ quidam probant. Alii verò oculos nostros in potentia obedienciali ponunt, & potentiam visivam elevari ad videndum DEUM statuunt. An satis rectè, judicent alii.

REGULA VII.

*Quod quis potest si vult (sc. potentiam in actum  
traducere) potest absolutè.*

OBJECTIO I.

**Q**Uod quis potest, si vult, potest absolutè. At DEUS potest peccare si vult, Ergò potest absolutè peccare. Minor: pro.



probatum quia *quaecunque Deus voluit fecit* Ps 135. Major regula est. Ad hanc objectionem quidam respondent limitando Majorem h. m. Quod quis potest si vult & potest illud velle, quo modo limitatâ majore negant minorem, quia, dicunt, DEum non posset velle peccata, & sic in materiâ argumenti vitium latere existimant. Verum ad formam hinc rectius respondetur, nam argumentum continet quinque terminos, & ut hoc pateat notandum est majorem esse propositionem simplicem de conditionato prædicato, & conditionem vel restrictionem illam, *si vult*, partem prædicati esse, tam in Majore, quàm in minore, & quod prædicati, non vero subiecti pars sit probatur exinde quia est restrictio formalis, & rationem, inhaerentiae prædicati vel partis prædicati *Absolutè* cum subiecto exprimit. Omnis autem restrictio, seu limitatio formalis pars prædicati est non subiecti. Ex quibus cuiusvis patet quomodo argumentum quinque terminos contineat, nempe. Primus est. *Quod quis potest.* 2. *Potest absolutè, si vult.* 3. *Deus.* 4. *Potest peccare si vult.* 5. *absolutè peccare.*

## REGULA IIX.

*Frustra est potentia, quæ non* (h. e. nunquam) *traducitur*  
(in specie) *in* (ullum) *actum* (ad quem ordinata est)

## OBJECTIO I.

**H**omo habet potentiam generandi, plurima loca terrarum adeundi. plures colores videndi. Saepè autem contingit ut homo quidam non generet ejuratâ sponte foeminarum consuetudine, ut quis plura loca non adeat, quosdam quoque colores non videat, ergo illæ potentiæ erunt frustraneæ. *Resp.* Potentiam generandi quod attinet, illa saepè quidem non traducitur in actum in Individuis, traducitur tamen in actum in specie, & illa potètia generandi nec in Individuis frustranea est, nam



nam potentia naturalis primò data est ob intrinsecam rei perfectionem. Potentia porrò locomotiva frustra in homine non est, etiamsi homo non ad omnia loca moveatur ad quæ illà se movere & potentia visiva si non omnia videat quæ videre potest, nam sufficit potentiam in *aliquem* actum deduci.

OBJECTIO 2. Potentia visiva in Talpis in tota specie non traducitur in actū, ergò frustra est. *Resp.* Talpas habere potentiam videndi negatur & probatur inde quia teste *Arist. lib. de hist. an. c. 9.* non habent veros oculos, sed saltim inchoatos, s. oculis veris solūm quid analogū, inchoatio autem illa oculorum est, ut aliis animalibus quodammodo in hoc sint similes, & propterea nec illa frustra est.

## OBJECTIO 3.

*Arminius in Apol. art. 19.* rectè videtur negare vi hujus regulæ Adamum ante lapsum habuisse potentiã credendi in Christum quia illa fuisset frustra, non enim in actum deduci potuit. *Resp.* Potentia si plures usus & fines respicit nō statim frustra est si non respectu omnium in actum traducatur. Unde licet illa potentia credendi in Christum quã habuit Adam⁹ in actū ab illo traducta non fuerit, tempus enim, status & cōditio id non admittebāt & requirebant, eadē tamen potētia qua potuit in Christū credere, traducta est in actū, dum in DEUM largitorē omnis boni credidit.

OBJECTIO 4. *Scotus lib. 3. dist. 7. qu. 4.* cum multis aliis quos *Scotus c. l.* allegat, in ea sententiã est, Christū fuisse incarnandum etiamsi Adamus non peccasset, & hoc videtur probari posse ex nostra regulã quia aliàs illa potētia naturæ humanæ qua potuit uniri Verbo frustra fuisset. *Resp.* Hæc sentētia falsa est, & contra illam *vid. Becanū Theol. Scholast. part. 3. tract. 1. quest. 6.* Ad rationē ex regula nostrã desumptã *resp.* quod creatura duplicem possit habere potentiam ad aliquid. 1. *Naturalem.* 2. *Obedientialem.* Illam dico frustraneam esse, si non traducatur in actū in Specie, & illa in nostra regula intelligitur. *Hanc autē nempe Obedientialem*

C

quã



quâ etiam natura humana potuit assumi in unitatem personæ Verbi, non necesse est traduci in actum, quia secundum eam potentiâ ex Creatura quodlibet, facere potest Deus, quod tan. ẽ ordinationi & summæ sapientiæ ejus sapissimè non congruit.

OBJECTIO 5. *Aristoteles lib. 3. Phys. c. VI. text. 57* docet, dari potentiâ infinitum, tum additione, ut in numero, tum divisione, ut in continuo. At illa potentia non potest traduci in actum quia non potest dari actu infinitum, sicut in antecedentibus multis probat rationibus, unde *text. 56.* ait: ὅτι ἰδίῃ ἐν ἐνεργείᾳ ἔκ ἐστὶ σῶμα ἀπειρον, φανερόν ἐκ τῶτων. *Resp.* Potentiâ dari infinitum, additione & divisione *bisariam* intelligi potest 1. *In sensu coll. cōtivo*, ut infinitum ita sit potentia ut ejus partes omnes tandem simul existant vel additæ vel divisæ, quo modo illi potentiæ responderet actus cōpletus. At h. m. non sumitur sicut ipse *Arist.* indicat c. l. his verbis: ἡ δὲ τὸ δυνάμει ὄν λαμβάνειν ἀπειρὲς εἰ δυνατόν ἀνδραγαθῶς εἶναι, ἢ καὶ ἔσαι τῶν ἀνδραγαθῶν, ἢ τῶν καὶ ἀπειρῶν ἢ, ὅ ἔσαι ἐνεργείᾳ. *Potestatis autem esse non ita sumi debet, ut si hoc statua possit esse, quod hoc statua erit ita & infinitum aliquid quod actu futurum sit.* Ergo nec hoc modo Potentia frustranea dici potest. 2. *In sensu distributivo*, nempe quatenus infinitum ad actum potestati admixtum potest perducī: ita ut numerus nova semper unitate augeatur, nunquã tamen unitatum completam magnitudinem obtineat, & magnitudo perpetuam divisionem subeat, nec tamen absolvatur, aut suarum partium adjectione infinitum cumulum efficiat. Exemplo Certaminum Olympicorum & Diei rem c. l. declarat *Arist.* qui vid. nostrum enim non est hæc prolixè persequi.

## REGULA IX.

*Actus & potentia (i. e. ens quod modo est actu modo potentiâ) sunt in eodem genere (summo).*

## OBJECTIO.

**P**otentia materiæ primæ est in prædicamento substantiæ, & quæ.



quædam tamen formæ accidentales sunt, item Potentia videndi est substantia & à parta rei ipsa anima, at verò visio est in prædicamento actionis. *Resp.* Hæc regula quæ *Thomæ est part. 1. quæst. 77. art. 1.* si in eâ *Actus & potètia* sumuntur in abstractio, quomodo sumit *Thomas*, illa sine dubio falsa est ut ostendit objectio. Si verò *Actus & potentia* sumuntur *respectu rerum* quæ sunt & dicuntur esse actu vel potentiâ, vera est regula, nam v.g. idem homo est, qui olim potestate erat, jam autem actu est, & in eodem genere summò s. prædicamento substantiæ est. Conantur quidem regulam defendere priori modo *Thomista*, unde ad objectionem respondent 1. Potentiam & actum primarium potentiæ esse in eodem genere, actum primarium autem potentiæ materiæ primæ esse formam substantialem, secundarium verò formas substantiales, 2. dicunt, potentiam visivam & ejus actum videre, esse quoque in eodem genere; supponunt autem actiones immanentes ex quarum numero est visio, esse qualitates, quod autem potentia visiva & aliæ potentiæ animæ, qualitates sint non ipsa substantia animæ probant ex adductâ regulâ, nempe quia actus & Potentia in eodem genere esse dicuntur, & verò quantum quidem ad præsens actus potentiæ visivæ sit qualitas, ut supponunt, concludunt, ipsam quoque potentiam visivam esse qualitatem, ut ita actus & potentia hic in eodem sint genere. Verùm semper petunt id quod est in principio, in ultima hæc responsione ad exemplum de potentia visiva & ejus actu desumptum, nam actiones immanentes non esse veras actiones sed qualitates, falsum est & contrarium communiter defenditur à *Dd.* & ipso *Arist.* recipitur. Potentias autem animæ & in specie potentiam visivam esse qualitates si non planè falsum, incertum tamen est & controversum, neque potest probari per regulam adductam quia hæc eo in sensu quo adhibetur falsa est, nec à nobis admittitur.



*Alia actus, alia potentia est causa (proxima sive propter quid.)*

OBJECTIO UNIC.

**D**EUS non solum causa est voluntatis, potentia liberae hominis, sed etiam actuum eius ut hic non alia causa sit potentia, alia actuum, & quod DEUS etiam actuum voluntatis causa proxima sit & immediate ad actus voluntatis concurrat *Patrum, Theologorum & Philosopharum* communis est sententia, & ut rationes Philosophicas hic seponamus probari illa quoque potest ex Scripturis, nam *Paulus Act. 17. v. 27. & 28.* dicit: *cu dixis, per ipsum vivimus, movemur & sumus*, probat verò ex hoc *Paulus* quod dixerat, nempe: *Deum non longè abesse ab uno quoque nostrò*, probatio autem illa nulla esset, si *Paulus* statueret DEUM agere & concurrere cum causis secundis mediatè, nam ex hoc quod aliquid mediatè cum aliquo concurrat non sequitur id quod dicto modo concurrat, ipsi cù quo concurrat adesse, quia Sol concurrat cum homine ad generandum hominem 2. *Phys. 2.* Sol tamen ab homine longissime abest. *Resp. Durandus lib. 2. f. ni. dist. 1. qu. 5.* negat ea quae sunt à causis secundis immediatè fieri à DEO Vid etiam *dist. 37. qu. 1.* quae sententia si vera esset, dici posset, DEUM esse actionum humanarum causam remotam, Voluntatè autem causam propinquam. Verum oppositum communiter hic tenent plerique recentiores tum *Theologi* tum *Philosophi*. Vid *Becanus Theol. Schol. Tract. 1. c. 18 & Svaricus Disp. Met. 22. sect. 1. n. 7.* ait: *sam certum esse Deum influere immediatè ac per se in omnem actionem creature ut id negare erroneum sit in fide.* Dicendum ergò est in regulà nostra per Causam intelligi illam, quae facti quæstioni propter quid, & ita regula vera est, nã v. g. si quaeratur cur homo possit ridere rectè quidem causam assignamus hanc, quia est rationalis, si autem quaeratur cur homo rideat, nõ eadem hic causa assignari potest nã etsi rationalitas, ut causa potentia ridendi, sit quodammodo etiam



etiam causa ipsi<sup>9</sup> risus, non recta tamē respondebis id propterea fieri quod sit rationis particeps, benè autē respondebis, & interrogans acquiescet, si dixeris, ridere, quod objectum ridiculum ipsi sit oblatum.

## REGULA XI.

*Cuilibet potentia activa (ut in actum traducatur) respondet potentiæ passivæ (vel saltim objectivæ.)*

## OBJECTIO I.

**V**idetur non necessarium esse ut existente potentia activa semper existat quoque potētia passiva. *Resp.* de facto nullā potentiā activam existere cui non respondeat passiva concedo, id autem absolutē necessarium esse nego, nec id evincet ratio *Suarerzii disput. Met. 43. sect. 2.* necessarium nihilominus esse dicimus, ut potentia passiva sit, si activa in actum traduci debet.

OBJECTIO 2. Ex hac regula sequitur, DEum hoc Universum non produxisse ex nihilo, sed ex materiā subjēctā, nam DEus ab æterno fuit omnipotens & habuit potentiam activam, ergo etiam vi regulae ab æterno extitit principium quod ab illa DEI potentia activa potuit transmurari. *Resp.* Regula aut restringenda est ad solam potentiam activam creatam, aut sub passiva etiam illa intelligi debet quæ à *Scoto*, inventa est, & *Objectivæ* dicitur & hæc respondit potentiæ divinæ ab æterno, & in creatione, *Vid. Scotum. lib. 2. dist. 12. qu. 1. n. 6.*

## REGULA XII.

*Cuilibet potentia passivæ (vel objectivæ) respondet activæ (vel creatæ vel increatæ.)*

## OBJECTIO UNIC.

**P**otesse dari potentia passiva cui, non respondeat activa, nam posito, ante productionem mundi extitisse Subjēctum ali-quod, fuisset potentia passiva, non autem activa creatæ. *Resp.* illæ potentiæ passivæ non quidem activæ creatæ, increatæ tamen DEI potentia respondisset.



CAPUT III.

continens regulas

DE CAUSIS.

REGULA I.

*Nihil* (h. e. nullum ens,) *est causa* (vel principium) *sui ipsius* (simpliciter, & in eodem esse.)

OBJECTIO I.

**D**EUS est à seipso, ergò est sui causa: *Resp.* negatur consequentia, notandum autem est quod Phrasis hæc *A seipso esse* bifariam possit intelligi 1. *Positivè* quo modo idem est ac influere esse in seipsum, & dare sibi ipsi esse. 2. *Negativè* quo modo idē est ac non esse ab alio. Priori modo sequitur, id quod à seipso est, esse sui causam, sed hoc modo DEUS non dicitur esse à seipso. A seipso ergò est DEUS *negativè*, s. quatenus non est ab alio ille enim est primū ens & prima causa quæ à nulla est & à qua omnia.

OBJECTIO 2. Homo potest se reddere doctum probum, rudem vitiosum, &c. ergò est causa sui ipsius. *Resp:* consequens *dupliciter* potest intelligi 1. ut ille qui se reddit doctum, &c. sit causa sui ipsius quatenus doctus est, & ita conceditur, & hoc modo ait *Arist.* 2. *Phys.* Cap. 1. text. 3. medicum esse causam sui ipsius quatenus seipsum sanat, non quidem ut medicum, sed ut ægrotum, & ita per accidens, 2. ut ille qui se reddit doctum probum &c. sit causa sui ipsius secundum esse simpliciter, & hoc modo consequentia falsa est, quia est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

OBJECTIO 3. Causa causæ est etiam causa causati. Sed finis est causa suæ causæ, est enim causa evacuationis pravorum humorum, nempe finalis: evacuatio autem vicissim est causa efficiens sanitatis. Ergò est causa sui ipsius. *Resp* Nihil est sui causa in eodem esse, finis autem est sui causa in esse diverso nam duplex esse habet finis *Unum* intentionale & objectivum. *Alterum* reale



reale sive actualis existentia, finis causa est secundum esse cognitum, s. secundum esse reale possibile quatenus cognitum est, nam finis non causat secundum esse cognitum, sed secundum esse reale, quatenus quidem cognitum est *ignotum enim nulla cupidus est*. Effectus autem finis est, secundum esse reale quod actu habet.

OBJECTIO 4. Pater in divinis est principium Filii, Filius vero est idem cum Patre. Ergo Pater est principium sui ipsius. *Resp:* Pater est principium Filii, non quatenus idem est cum eo s. ratione essentia, sed quatenus distincta est ab illo persona, nam Essentia divina nec generat nec generatur *Scotus l. 1. dist. 5. q. 1.* Est quidem in divinis Essentia Patris respectu Filii potentia & principium generandi, remotum intellectu proximum, uti communitur docent *Scholastici* sed non prout consideratur essentia & intellectus absolute sed quatenus sunt Patris vel substant Paternitati, *Vid. Becanum Theolog. Scholast. tract. 2. c. 7. qu. 3. num. 5. 6. & seq.*

## REGULA II.

*Nihil* (h. e. nullum ens) *fit sine causâ* (efficiente vel finali.)

## OBJECTIO UNIC.

Angeli producti sunt sine materia, ex nulla enim præexistente materiâ sunt producti, & ex nulla quoque materia constant, actus enim sunt & formæ simplices item, Formæ fiunt, nec habent causam formalem. Materia prima producta, est sine formâ, & licet concreata cum forma, imò nunquam, sit sine formâ, forma tamen non est causa eius. *Resp:* Si in regula per *Nihil* intelligeretur solum compositum naturale sicut id proprie loquendo tantum fieri disputat *Arist. 7. Met. c. 8. Vid. Svarerz disp. Met. 15. sect. 4.* verum esset dicere: *Nihil*, s. nullum compositum fit sine causa efficiente materiâ, formâ & fine, & ita opposita exempla non obstarent. Quia vero *Nihil* extenditur ad quodvis Ens ita ut nullum ens sit & fiat sine causâ, per causam solum intelligi debent efficiens & finalis, & ita Angeli, formæ, & materia prima, & omnia quæcunque sunt præter Deum, causam efficientem & finalem habent.

RE.



*Posita causa* (formaliter & in esse causæ) *ponitur effectus*  
(in esse effectus, aliquis, determinatus si causa posita sit  
in actu secundo determinato hoc vel illo)

& *Vice V.*

*Posito effectu* (in esse effectus, vel esse absoluto,) *neceſſe*  
*eſt poni* (vel positam fuiſſe) *cauſam* (tam in esse  
absoluto quam in esse causæ.)

OBJECTIO I.

**Q**uando Architectus est constitutus in actu Secundo & in esse causæ, non statim ponitur domus. *R. sp.* ponitur effectus aliquis respondens causæ agenti, non tamen statim totus. *Dicitur:* posito Sole super hæmispherio nostro statim ponitur totus effectus, *Resp:* effectus sunt in duplici differentia; quidam enim ejus nature sunt ut possint fieri in instâti, quidam autem nõ nisi successivè fieri possunt. *Illius* generis est illuminatio Solis. *Hujus* est domus.

OBJECTIO 2. Non necesse est poni causam quando effectus ponitur, nam media sunt causata finis, nec tamen quãdo media adsunt, finis adest & existit, sicut sanitas, adhuc desideratur quando medicamenta sumit ægrotus. *Resp.* Media sunt causata & effectus finis quatenus finis adhuc habet esse possibile cognitum, & hoc modo finis semper est, quando media adhibentur, nec sumeret medicamenta, nisi bonitate & amabilitate finis quam cognitam habet ægrotus ad ea sumenda impelleretur.

OBJECTIO 3. Concilium *Trident.* *ſ.ſ. 5.* vult in baptismo tolli peccatum originale ita & communiter docent *Pontificii*, nihilominus tamẽ post baptismum effectus ejus manet, nempe peccata actualia. *Resp.* hæc sententia refutatur ex nostra regulâ. Responderi quidem iterum posset ex regula, posito effectû non necesse esse poni semper causam, sed sufficere, positam fuiſſe causam, sicut domus remanere potest mortuo architecto sicut  
exci-



excipit & respondet Jesuita *Heisius* in volumine acatholico *Dilingæ* edito, ubi mirum in modum hac responsione & exceptione se delectat, quasi ea omnes Lutheranos profligasset, totamque rem expedivisset. Verùm hæc responsio hic planè non sufficit, nam non necesse quidè est, posito omni effectu quocunque modo, sive in esse absoluto, sive in esse effectus, poni causam, necesse autem illud est, si effectus est ἐνέργεια, aut quando effectus ponitur in fieri, & in esse effectus. Et quia peccata actualia sunt effectus ut est ἐνέργεια, sunt enim actiones, non verò ἐπέγνυμα, opus aliquod s. res permanens, & etiã fiunt post baptismũ, necesse est, tunc quando sunt & fiunt, poni ipsorum causam nempe Peccatum originale.

## REGULA IV.

*Negata causa* (sive quoad esse absolutum, sive in esse causæ) sollicitur effectus (in esse effectus.)

& Vice V.

*Negato effectui* (in esse effectus) *negatur causa* (in esse causæ.)

## OBJECTIO L

**E**ffectus potest existere, ita ut negetur causa, v. g. Domus est, etiam quando architectus non amplius existit. *Resp.* negata causa in esse causæ; ut mortuo architecto, negatur effectus in esse effectus, nempe Domus in fieri, non autem statim negatur effectus in esse absoluto. OBJECTIO 2.

Hæc regula omnibus illis qui vixerunt tempore veteris Testamenti videtur denegare Salutem, nam Christus seu meritum Christi causa; Salutis hominum est, at hæc causa non fuit vel existit tempore veteris Testamenti. Ergò effectus, nempe Salus æterna tunc nemini obtingere potuit. *Resp:* Duplex est causa 1. *Physica.* 2. *Moralis.* Illa est quæ realem & physicũ præbet influxum in effectum. *Hæc* verò est quæ verè quidè causat at non physice, sed tantum per modum meriti. *Illæ* non potest agere, nisi actu

D

exi.



existat & de illa valet reg. *Agere nempe Physicè præsupponit Esse f. existere.* Hæc verò potest agere etiam si non existat, actu. Jam, quando fit argumentatio hoc modo: Negata causa in esse causa, negatur effectus. At in veteri testamento negabatur causa in esse causa. Ergò negabatur, Salus, concessâ majore, nego minorem, ratio autem minoris hæc: Christus non exiit tempore veteris Testamenti, ergò, & c. nulla est, siquidem causa moralis, qualis est Christus & meritum Christi potest agere, etiam quando non existit secundum esse absolutum *Vid. Scotum. l. 2. dist. 33. qu. 1. n. 20. Et Excellentissimum B. Scledogri in disp. Ac pr. 6. n. 7. & 87.*

OBJECTIO 3. Negari potest effectus, ut non statim possit negari ejus causa v. g. potest comburi arbor, vivente adhuc illo qui arborem illam plantavit. *Resp:* Causa & effectus se invicem ponunt & tollunt, quando considerantur in esse formali, quod non semper fit, si in esse absoluto spectantur.

## REGULA V.

*Causa (secundum esse absolutum) est prior*

(naturâ) causata.

## OBJECTIO I.

**S**ol non est prior illuminatione, nec materia prior forma, Sol tamen est causa illuminationis, & materia formæ quia hæc ex illius potentiâ educitur. *Resp:* Causa semper est prior effectui, non quidem tempore, naturâ tamen illo semper prior est. Hoc observare debuisset *Becanus* quando *Theolog. Schol. part. 3. Tract. 4. cap. 2. qu. 7.* ex nostrâ regulâ argumentatur contra fidem justificantem, & eo modo quo nos illam definimus, justificatione & remissione peccatorum priorem esse negat, nam ut licet fides non sit prior tempore justificatione, natura tamen prior est. Vide quæ excipit c. l. *Becanus*, nam prolixiorum refutationem hic non merentur.

OBJECTIO 2. Causa & Effectus sunt relata. Relata autem sunt



sunt simul naturâ, nam τὰ πρὸς ἑαυτῆς αἰτιατῆς, ait *Arist.* 7. *Categ.*  
 Resp. Causa & effectus dupliciter possunt considerari 1. Secundum esse absolutum. 2. Secundum esse relatam. Priori modo causa est prior causato natura, nempe, Secundum quod causa causat effectum, non verò posteriori modo prout nim. causa, & effectus ex hoc quod illa hunc causat & hic ab illa causatur, se mutuo respiciunt.

OBJECTIO 3. Finis est causa mediorum & tamen media sunt priora fine, *Resp.* Finis est causa mediorum ratione intentionis, & hoc modo prior est mediis, media autem sunt priora fine, ratione executionis, quo modo tamē finis non est causa, sed effectus.

## REGULA VI.

*Causa notior est (naturâ) effectui.*

## OBJECTIO 1.

**R**om. 1. dicitur quod gentes cognoverint DEUM ex adpectu hujus Universi, ex quo colligere est, effectus esse notiores causis, quæ enim prius cognoscim<sup>9</sup> ea notiora sunt, non autem DEUM tanquam causam, sed effectum mundum sc. *Gentes* prius cognoverunt. *Resp.* *Arist.* 1. *Phys.* c. 1. & alibi distinguit inter notius esse nobis & naturâ s. simpliciter, s. ὅτι dicit c. 1. τὰ πάντα ἡμῶν τε γινώσκουμεν καὶ ἀπὸ τῆς φύσεως, quæ tamen distinctio non hoc vult, quasi naturæ etiam quædam sint cognita ut *stoicorum* est sententia *Vid.* *Connimb.* c. 1. *Phys.* c. 1. *art.* 5. Intelliguntur autem per notiora nobis ea quæ in se & simpliciter sunt notiora, ut causa quæ quatenus prior est effectui & hic ab illa non contrà illa ab hoc dependet, semper naturâ notior quoque est effectui. per notiora Nobis verò ea intelliguntur quæ respectu nostri, & ratione cognitionis nostræ sunt notiora, ut effectus, qui quatenus propinquiores sensibus causâ, quia omnis nostra cognitio à sensibus incipit, secundum illud: *Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu*, nempe vel per se ut color per suam pro-



propriam speciē, vel *per partes* ut mons aureus, vel *in suo effectu*, ut DEUS, &c. causa quoque notiores nobis sunt. Locus Pauli hic non obstat, nam licet gentes cognoverint ex effectu nim. mundo causam nempe DEUM, & evidenter satis quia Paulus c. I. ait: *Quod notum est DEI manifestum est in illis* Vid. Svaretz disp. met. 29. sect. 2. n. 6. exinde tamen hoc tantum colligitur effectus esse notiores Nobis quod ambabus quod ajunt largimur manibus.

## REGULA VII.

*Causa causa* (efficiens univoca, secundum esse absolutum, quoad prædicata essentialia) talis est effectus.

## OBJECTIO I.

DEUS est causa mundi, mundus autem non est DEUS. Resp. DEUS est causa mundi non univoca sed æquivoca.

OBJECTIO 2. Pater in divinis est causa (latè acceptō vocabulæ causæ prout idem est quod principium) producens filiū, talis autem filius nō est, quia hoc modo filius non esset filius sed Pater, & seipsum produceret, quod absurdum est. Resp. *Esse producens alicujus* non pertinet ad esse absolutum causæ, sed esse formale.

OBJECTIO 3. Pater sæpè doct<sup>9</sup> est, & filius rustic<sup>9</sup> & cōtrā. Resp. *Esse doctū* non pertinet ad esse Patris essentialia sed accidentalia.

## REGULA IIX.

*Si affirmatio est causa* (essendi, proxima) *affirmationis* etiam negatio erit causa negationis.

## OBJECTIO I.

SEquitur quando dico: Quicumque actu novit omnia, & actu exercet opera divina, ille verus DEUS est, & hic est causa affirmatio affirmationis, nō autem pariter hic negatio causa est negationis quia non sequitur, qui actu non omnia novit & actu non exercet opera divina, ille verus DEUS nō est, quia sequeretur Christum in statu præsertim exinanitionis nō fuisse verū DEUM & in ipso habitasse totam Divinitatis Plenitudinem. Resp: Regula



gula loquitur de causa *effendi*, actu autem omnia nosse & opera divina exercere hic non sunt causa *effendi* sed *ferendi* tantum.

OBJECTIO 2. Sequitur: Non est animal, ergò non respirat, non verò h. m. Est animal ergò respirat. *Resp. Esse animal non est causa proxima respirationis, sed pulmones habere.*

## REGULA IX.

*Causa Efficiens (principalis in quantum est causa) non est deterior (h. est imperfectior) eff. etu.*

## OBJECTIO 1.

SOL produxit animalia, Sol autè est deterior, quia est inanimatus. *Resp:* Sol non est deterior animalib<sup>9</sup>, nam licet nò formaliter contineat perfectionis animalis, eminenter tamè continet.

OBJECTIO 2. Pater est causa efficiens filii, sæpè tamen filio est deterior quia filius sæpè præstantioris ingenii est quàm Pater, *Resp.* Pater in quantum causa filii est non est illo deterior, non autem causa filii est in quantum bonum habet ingenium, quia hoc dependet vel ab astris vel ab alia causâ.

## REGULA X.

*Quicquid est in effectu, (quatenus est effectus) præexistit in causâ (vel formaliter & ut idem secundum speciem, vel eminenter)*

## OBJECTIO 1.

PLURA reperiuntur in creaturis quæ in DEO non sunt. *Resp:* licet plura reperiãtur in creaturis quæ in DEO non sunt formaliter, omnia tamè quæ in illis sunt, DEUS continet eminenter, quatenus in DEO est aliquid nobilius cum vi effectiva illius rei.

OBJECTIO 2. Hic digit<sup>9</sup> qui est filii, non præexistit in Patre, *Resp:* ille digit<sup>9</sup> nò quidè idè numero, specie tamen idè existit in Patre.

## REGULA XI.

*Causa causa, est etiam causa causati (in causis particularibus, essentialiter subordinatis, & accidentaliter subordinatis si una causâ sit cur altera agat in genere morum.)*



**D**EUS est causa voluntatis humanæ essentialiter subordinatæ, voluntas est causa peccati. Ergò DEUS quoque erit causa peccati. *Resp.* 1. DEUS est causa Universalis, 2. In peccato duo considerari possunt, Unū est *materiale* scilicet *actus*, Alterū *formale* scilicet *fectus actionis*. DEUS causa peccati est respectu materialis, nō vero respectu formalis, nā volūtas humana essentialiter subordinatur DEO in quātū agit, nō verò in quātum in agendo deficit.

**OBJECTIO 2.** Communis quidem responsio est, quod DEUS tantum generali influxu concurrat ad actus humanos, verūnī concursus DEI æquè videtur particularis & determinatus quam concursus hominis, nam DEUS concurrat ad totam entitatem actionis, etiam in particulari uti negari non potest. *Resp.* Actio quæ fit & producitur potest considerari, vel *secundum se*, quo modo determinata est & particularis & totam suam entitatem particularem, tam à DEO quàm ab homine habet, vel *respectu modi* quo nim. fit & producitur & hoc modo concursus DEI rectè dicitur indifferens.

**OBJECTIO 3.** Non videtur hæc causa, nempe Indifferentia concursus *respectu modi*, id evincere quod DEO non possit attribui peccatum ad quod cōcurrit, nam si hæc ratio aliquid obtineret, servata eadē dici posset, nec DEO posse attribui & adscribi bonas actiones hominis, quod falsum est. *Resp.* Id eadē ratione fieri potest. Dicis: cur autem actiones bonæ DEO attribuuntur? *Resp.* Hujus causæ sunt, quia illas DEUS, vult, intendit præcipit, &c.

**OBJECTIO 4.** Si DEUS non est causa Physica peccati, saltem moralis causa ejus erit, quia offert homini concursum quem certò præscit illo malè usurum. *Resp.* DEUS nec causa moralis peccati est, quia illud non vult nec intendit nec præcipit, sed potius odit, averfatur, prohibet, punit &c. quod autem concursum suum illi præbet, hoc facit ex generali quadam lege quæ omnibus agentibus creatis illum debet.

RE-



## DE CAUSIS.

31

## REGULA XII.

*idem* (nempe, eadem causa efficiens naturalis,) *quatenus idem* (h.e. eodem modo se habens, tum resp. sui, tum respectu circumstantiarum) *semper facit idem.*

## OBJECTIO.

**P**ER idem verbum DEI prædicatum vellectum, quidam convertuntur, quidam indurantur, & per eandem Lucem, Christum, uti vocatur, *1. 9. & Job. 1.* quidam illuminantur, quidam excecantur, nec dici potest, quod Sp. S. ita agat per verbum ut quosdam tantum illo velit converti, quibusdam verò liberè subtrahat gratiam & auxilium suum, sicut pariter impium esset dicere, Christum tantum quosdam velle illuminare, quibusdam liberè lucem suam denegare & subtrahere, semper ergò eodem modo agunt, tum verbū tum Christus, nō tamen semper idem agunt. Ergo. *Resp:* Etiā idem calor ignis ceram liquefacit, lutum verò indurat, idem ergò, non tantum resp. sui, sed etiam resp. circumstantiarum, idem facit, & sicut pro diversitate objectorum calor indurat lutum & liquefacit ceram, ita etiam pro diversitate objectorum verbum DEI quosdam convertit, quosdam indurat, & Christ⁹ quosdam illuminat quosdam excecatur, indurationis autē illius & excecationis causa non est vel verbū, vel Christus, sed tantum homo, qui nec Evangelio credit, nec Christum verā fide amplectitur, nā Evangelium est potentia ad Salutē omni (& quidem) *credēti Rom. 1.* ita *Job. 1. v. 9.* dicitur quod Christus sit Lux illuminans omnem hominē veniētem in mundū, & *Christum recipiēte* puta, verā fide *v. 12.*

## REGULA XIII.

*Principium latius patet quam causa.*

## OBJECTIO.

**A**rist lib. 5. *Met. c. 2.* ait, causam totidē modis dici, quot modis dicitur principii, & 4. *Met. c. 2. t. 3.* dicit, *Jam verò ens & unum idem sunt & una natura, quod mutuo se sequantur, quemadmodum principium & causa.* *Resp:* Ad secundum locum *Arist:* quidam respon-



respondent, vocem *causa* ibi sumi latè, quam responsionem recipiunt alii, sed rejicitur à *Svarezio* disp. Met. 12. s. c. 1. n. 30. Explicatio autè *Svarezii* hæc est, nempe, duo *Arist.* c. l. dicere de Ente & Uno, Primum est, *Esse idem*, Secundum est, *converti inter se*, Et *Arist.* quando ait, sicut principium & causa, ea non comparare in secundo, sed primo, & posse etiam in secundo comparari, si *causa* accipiatur indefinitè, quia quandoque convertuntur principium & causa. Ad primum locum iterùm quidam respondent causam ibi latiùs sumi. Verùm hoc est apertè cõtra mentè *Arist.* Expositio autem *Alex. Alenf.* apud *Svarezium* c. l. n. 28. menti, & rationi *Arist.* quam c. l. habet, optimè videtur congruere. Est autem illa hæc: sc. quod principium præter illos modos quos ipsi assignavit, dicatur adhuc totidem modis, quot dicitur causa.

OBJECTIO 2. Quod Causa æquè latè pateat ac principium ex eo patet quod Patres *Græci* ut *Damasc.* lib. 1. de fide. c. 8 & 9 *Athan.* in Actis *Nicene synodi*, *Nazian.* orat. 29. de dogmate & constitutione *Episc.* In divinis Patrem vocant causam Filii, nec ab Ecclesia Latina reprehenduntur, quæ Patrem in divinis vocant Principium uti patet ex Concilio *Florentino* s. s. ult. de processione *Sp. S.* ubi isti Patres *Græci* explicantur. *Resp.* Causa non æquè latè patet, ac Principium, quod autem *Græci* Patrem in divinis vocarunt causam Filii nec reprehensi sunt à *Latinis*, inde est, quod *Græci* vocabulū *αἰτία* latiùs usurpant quàm *Latini*, vocabulū *Causæ*, ita ut *αἰτία* illis idem sit quod *Latinis* principium. *Vid. Becã* part. 1. *Th. Schol. tract. 2. c. 4. qu. 4.*

## REGULA XIV.

*Omne Principium* (quatenùs est principium) prius est principiato (suo modo)

## OBJECTIO.

**H**OC modo in divinis neque Pater potest dici Principium Filii, nec Filius Principiatum Patris, quia Pater non est nec tempore neque naturâ prior Filio, nec dictis modis Filius posterior est



est Patre, *Resp.* non datur quidem inter Patrem, & Filium prioritas & posterioritas, vel naturæ, vel temporis, nihilominus tamen alio modo Pater prior est Filio, nempe *Prioritate originis*, & Filius posterior Pater est origine, quatenus nim. Filius est à Patre. *Vid. Scotum lib. 1. dist. 26. quæst. 4. n. 7.* Alii addunt *Prioritatem naturalis enumerationis*, ut Pater sit prior Filio, & una persona altera, in ordine naturalis enumerationis, quomodo primam, secundam, & tertiam numeramus, Verùm hæc prioritas, non est diversa à priori, sed fundatur in prioritate originis.

## REGULA XV.

*Effectus non predicatur (proprie & in casu recto)  
de sua causâ.*

## OBJECTIO 1.

**I**N hæc propositione: *DEus est homo*, effectus prædicatur de causâ, nam DEUS est causa hominis. *Resp.* Hic non prædicatur effectus de causâ, & identificantur extrema ratione *ὁμοιότητος* quatenus eadem persona quæ est DEUS est etiam homo, nempe Christus *Ἰεσὺς ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς*, concreta enim substantiva in hæc propositione *DEus, Homo*, non supponunt pro *naturis* ut vult *Gabriel Vatzquetz part. 3. summ. Theol. tom 1. disp. 63. r. 4. n. 23.* & alii, sed pro *hypostasi*, ut *Thomas in 1. de Ente & Ess. c. 3.* & alii.

OBJECTIO 2. Rectè dico *Aneas*, qui tamen est causa generans *Ascanii*, est homo. Ergò effectus prædicatur de causâ. *Resp.* Hic non prædicatur effectus de causa sed species de individuo.

## REGULA XVI.

*Causa (diversi generis, quædam) possunt sibi  
invicem esse causæ.*

## OBJECTIO 1.

**V**Apores sunt materia pluvix, & pluvia vicissim est materia vaporum, Ergò quædam sunt sibi invicem causæ in eodem genere. *Resp.* nō sunt iidem numero vapores qui ex pluvia

E

citi.



efficiuntur cum iis qui sunt iterum materia pluviae.

OBJECTIO 2. Si causae sunt sibi invicem causae idem erit seipso prius & posterius, cum causa sit prior causato. *Resp*: Hoc non est absurdum diverso resp. nam finis, prior est efficiente ratione *intentionis* posterior ratione *executionis*. *Vid. de hac regula prolixè disputantem Suarez disput. Met. 27. sect. 2. n. 1. & seq.*

## REGULA XVII.

*Causae* (diversi generis) *possunt* (diverso respectu) *coincidere* (h. e. in unam rem cadere.)

## OBJECTIO.

**A**bsurdum esse videtur, idem esse causam efficientem & materiam. *Resp*: Si per materiam intelligitur materia in qua omnino fieri potest, e. g. Anima rationalis, est *Efficiens* causa quatenus consideratur respectu suorum actuum quos producit. *Materia* in qua, quatenus est subjectum suarum operationum. *Forma* in ordine ad corpus quod informat. *Finis* quatenus movet generantem. Et ita patet quod in eandem rem omnes quatuor causae coincidere possint. Ita etiam Meritum Christi justificationis nostrae causa efficiens est, quatenus nobis promeruit justitiam, & etiam saepe vocatur causa formalis quatenus nobis applicatur.

## REGULA XVIII.

*Idem* (h. e. eadem causam, exceptam formam, & efficiente naturali) *potest esse causa contrariorum*.

## OBJECTIO.

**S**ol est causa naturalis, & tamen est causa contrariorum, nam modo durefacit modo liquefacit. *Resp*: Sol nunquam est causa contrariorum, semper enim calefacit, quod autem calore Solis Lutum indurescit & cera liquefcit non est à Sole, sed ab objectis.

## REGULA XIX.

*Propter quod*, (tanquam causam proximam) *unumquodque tale est, illud, (si etiam tale sit,) magis (h. e. probabilius) tale est.*

OBJE-



## DE CAUSIS.

35

## OBJECTIO 1.

**H**omo est creatura, propter DEum. Ergo DEUS magis est creatura quam homo. *Resp.* Non valet conseq. quia DEUS non est creatura, nam prædicatum consequentis vel forma semper debet tribui posse illi quod dicitur causa.

**OBJECTIO 2.** Filius est homo propter patrē. Ergo Pater magis est homo. *Resp.* Filius nō est homo propter patrē, sed ex suā naturā, & propter hoc quod cōstat ex animā & corpore organizato, neque rectē respōdem<sup>9</sup> quærēri cur hic est homo: quia habet Patrē.

## REGULA XX.

*Cujus cause omnes (tam principales, quàm instrumentales)*

*sunt universales, id ipsum & universale.*

## OBJECTIO.

**C**ausæ electionis omnes sunt universales, & extendunt se ad omnes homines. Ergo Electio est Universalis. *Resp.* Ad hoc ut effectus sit universalis requiritur ut omnes causæ tam principales quam instrumentales sint universales, at fides quæ causæ instrumentalis Electionis est, nō se extendit ad omnes homines. *Dico:* Sufficit ut causæ Principales sint universales, 1. quia, instrumentum tanquam imbecillius nō potest determinare Principale tanquam Fortius, 2. quia instrumentum est posterius Principali, posterius autem non potest determinare prius. *Resp.* Instrumentū omninō determinat Principale, licet non *positivè*, nā *negativè* illud determinat, tum *ratione Exercitii*, quatenus agens principale non potest agere absente instrumēto, tum *ratione Cōtrarietatis*, sive *quoad speciem actus*, quatenus v.g. variatē calore, variat cōcoctio inanim alib<sup>9</sup>, quæ determinatio tamē posterior ad præsens non spectat, nec ratio illa alicujus momenti est quod imbecillius non possit determinare fortius, quia etiam causæ secunda tanquā imbecillior determinat causam Primā tanquam fortiorem, taceo alia, 2. posterius non determinare prius refutat exemplum causæ secundæ, & primæ, hæc enim quæ prior est, ab illa quæ posterior est determinatur. E 2 RE.



*Omnis effectus per accidens reducitur ad causam Per se.*

## OBJECTIO.

**P**eccatum est effectus per accidens respectu DEI, quia conjungitur cum ejus influxu. Si ergo omnis effectus reduci debet ad causam *Per se*, DEUS erit causa *Per se* peccati. *Resp.* Causa *per se* peccati non est quærenda in DEO sed in homine, & homo peccati causa *per se* ex parte causa est quatenus ipse ut peccator peccat, & ex parte effectum quatenus revera peccata facit, vel dici potest peccatum, tanquam effectus per accidens, reduci ad DEUM, ut causam *per se*, non quod causa *Per se* peccati sit, sed alteri effectus cum quo peccatum conjungitur. *Vid. Suarez disp. Met. 19. sect. 12. n. 7.* ubi ait non omnem effectum per accidens habere causam *per se* puta ratione intensionis. *Vid. etiã. disp. Met. 17. sect. 2. n. 4.*

## REGULA XXII.

*Agens (Physicè) & Patiens sunt simul (vel suppositaliter vel virtualiter.)*

## OBJECTIO.

**C**hristus Agens & salvans homines non fuit tempore veteris Testamenti & tamen plurimi salvati sunt. *Resp.* Christus est causa *moralis* & meritoria Salutis nostræ, quæ non est necessariò simul cum patiente. *Vid. Excellentissimum B. Slevogt. disput. Acad. p. 26. c. 82. & 83. & seq. Et Scotum l. 2. dist. 33. qu. unic. n. 20.*

## REGULA XXIII.

*Agens (per veram actionem, quatenus agens) est nobilius patiente (coeteris paribus.)*

## OBJECTIO.

**A**ngeli dum intelligunt, agunt, dum autem intellectionem in se recipiunt, patiuntur, si ergo agens semper est nobilius patiente Angeli erunt nobiliores seipsis. *Resp.* Hoc nihil absurdi est, *diverso respectu.*

RE.



*Actiones sunt suppositorum (ultima tō ab iis  
denominatorum)*

## OBJECTIO.

**N**estorius, qui vixit seculo 4. à nato Christo, contra Judzos  
usus est tali loquendi, formulâ: *Noli gloriari Judae, non DE-  
um sed hominē crucifixi*, Et Calviniani, has propositiones, *DEUS  
est passus, DEUS est crucifixus* &c: ita explicant ut non toti suppo-  
sito & personæ Christi, passionem & crucifixionem tribuant sed  
tātū naturæ humanæ in Christo. Ita enim illas explicāt: *DEUS,  
i. e. caro DEi at unita, est passus, & DEUS i. e. caro: DEitati unita est  
crucifixus*. Et ita regulam nostram non videntur admittere. *Resp:*  
Sententia nominatorum hæreticorum falsa est. Et quantum ad  
*Nestorium* is quidē ex nostra regula refutari nequit, quia statuit  
in Christo dari, duas personas, damnatus autem est in *Synodo E-  
phesina Occum. 3. An. 433.* Alii verò nēpe Calviniani rectē ex nostra  
regula quā negare nequeunt, refutantur. Sed hīc opponunt DEI  
impassibilitatē. Verūm *Resp.* quando dicūt quod DEUS sit impas-  
sibilis id vel intelligūt de Principio *Quo*, nempe quod DEUS non  
possit esse Principium *Quo* passionis, vel de Principio *Quod*, ut  
DEUS ita sit impassibilis, ut ei nullo modo passio etiam ratione  
personæ possit attribui. Si *illud* vani sunt, nam quis unquā dixit,  
DEUM passum esse in naturā & ut principitū *Quo*. Si *hoc*, absurdi  
sunt, nam actiones item Passiones possunt tribui toti supposito,  
juxta nostram regulam, quam prius falsam esse ostendānt. Nec  
verbalis tantū communicatio est, quando id quod uni parti  
tantū competit, etiam alteri attribuitur, nam intelligere, uni  
tantū parti hominis competit nempe animæ rationali verē  
tamē Toti homini tribuitur, nam toti homo intelligit. Et *Arist.*  
*lib. 1. de An. c. 4. text. 64.* ait: *Τὸ λέγειν ὀργίζεσθαι τὴν ψυχὴν ὁμοίον καὶ ἐ-  
στὶν λέγειν τὴν ψυχὴν ὄφρα μὴν ἠέ κεν ὀργισθῆναι. βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυ-  
χὴν εἰλεῖν, ἢ μὴ κενεῖν, ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν αὐτρωπον τῇ ψυχῇ.* *dicere*

E 3,

ani-



*animam irasci simile est ac si quispiam animam texere dicat, vel adificare. Nam melius est fortasse non animam s. d. hominem animam misereri, vel discere, vel ratiocinari. Verè ergò passio Christi competit tum Parti, ut naturæ humanæ, tum toti personæ, illi quidem proximè, huic remotè. Vid. Scotus 4. dist. 17. qu. 3. n. 11.*

## REGULA XXV.

*Agere (physicè) presupponit esse.*

## OBJECTIO.

**P**ontificii docent, peccatum originale tolli in baptismo, notius autem nihil est, quam effectus ejus remanere post baptismum *Vid. Becanum Theolog. Scholast. part. 3. Tract. 2. c. 11. qu. 2. & plures alios. Resp.* His opponi potest regula nostra, & firmiter ex illa concluditur peccatum originale manere post baptismum, cum impossibile sit ut aliquid agat quod non existit.

## REGULA XXVI.

*Omne agens, (secundum quod agit,) est actu, patiens vero (respectu ejus quod recipit) potestate (si receptio sit successiva.)*

## REGULA XXVII.

*Omnia quodammodo fiunt ex Univoco.*

## OBJECTIO.

**O**mnia sunt à DEO, nec tamen conveniunt cum eo in cōceptu univoco. *Resp:* Vox Univocorum hic latissimè sumitur, & omnia conveniunt cū DEO in conceptu transcendentali, *Entis.*

## REGULA XXVIII.

*Agentium partialium (non subordinatorum) quodlibet per se potest producere effectum, aut partem effectus ad quem concurrat.*

## OBJECTIO.

**I**ntellectus & Lumen gloria sunt causæ partiales respectu visionis DEI, uti communior habet sententia *Scholasticorum.*

Intel-



Intellectus tamen non potest sine lumine gloriæ, nec Lumen gloriæ sine intellectu, efficere visionem DEI. *Resp. Durandus* quidem ex nostra regula conatur probare, lumen gloriæ non juvare & confortare intellectum, Verum respondetur ipsi à *Beccano Part. 1. Theol. Schol. tract. 1. c. 9 qu. 3. n. 5.* non enim sequitur lumen gloriæ non potest absque intellectu producere visionem DEI ergo non est partialis causa. Nam duplex est genus agentium partialium. *Quadam* in agendo subordinantur, ut manus & calamus resp. scriptionis. *Quadam* non subordinantur ut duo trahentes eandem navem. Regula intelligitur de agentibus partialibus posterioris generis. Intellectus verò & lumen gloriæ sunt causæ partiales prioris generis. *Vid. Bec. c. 1 & Svaretz disp. Met. 30. §. 11. n. 46.*

## REGULA XXIX.

*Simile* (in eâ qualitate, secundum quam agit & quidem ratione gradus) *non agit* (actione alterativa)

*in simile* (per se.)

## REGULA XXX.

*Agere & pati* (in iis inter quæ datur reactio)

*est inter contraria* (vel extrema vel intermedia.)

## REGULA XXXI.

*Agens* (per qualitates physicas primas) *assimilat*

*sibi patiens* (ratione ejus qualitatis, secundum quam agit.)

## OBJECTIO.

**S**OL calefacit hæc inferiora, non tamē illa sibi assimilat. *Resp.* Sol non agit per calorem s. per qualitatem primam, non enim calidus est.

**OBJECTIO 2.** DEUS agit in hæc inferiora, non tamen illa sibi assimilat. *Resp.* Nec DEUS agit per qualitates primas. Dici etiam posset, si regula intelligeretur de quocunque agente, DEUM assimilare sibi omnia in quæ agit, latè, prout assimilatio completitur qualemunque convenientiam.

REGULÆ



*Actio* (alterativa inter contraria victoriosa)

*fit à superante* (viribus.)

*Nihil agit* (actione propriè sic dictâ, & univocâ) *in*

*seipsum* (quatenus idem.)

OBJECTIO.

**C**ommunior est sententia, intellectû patientem non solùm esse potentiam Passivam, quatenus species recipit inter vètu Phantasmatum, sed etiam activam, quatenus elicit actum intelligendi. Quod si verum est, idem agere potest in seipsum, nam intellectus actum intelligèdi quam elicit mox in se recipit. *Resp:* Sunt quidem plures qui dicunt intellectum patientem merè passivè se habere resp. actus intelligendi, causam efficientem verò intellectiois alii aliam ponunt, verùm rectè illa sententia rejicitur. Dicendum igitur est, intellectum non agere in se propriè & actione corruptiva sed perfectivâ, & quatenus à seipso quodammodo est diversus.

*Non quodlibet agit in quodlibet, nec quodlibet patitur à quodlibet, sed actus eorum quæ agendi vim habent, recipiuntur in dispositio* (naturaliter.)

OBJECTIO.

**D**EUS potest agere in quodlibet, & quodlibet etiam sive sit dispositum sive indispositû, à DEO agente in illud, patitur, Ex rudi enim indigestâ & indispositâ materiâ & mole produxit hoc Universum & ex lapidibus dicuntur fieri posse filii Abrahæ, *Resp.* Regula intelligitur de eo quod fit *naturaliter* & *ordinariè*.

*Quicquid recipitur, recipitur per modum* (secundum quod recipiens aptum est recipere) *recipientis.*

REGU-



## DE CAUSIS.

## REGULA XXXVI.

43

*Quod (quantum) & quale quid agens (per se) agit (resp. certi patientis, id, (tantum) & tale quid patiens (ab isto agente, quoad ea quæ actui agentis, quo in istud patiens formaliter agit) patitur.*

## OBJECTIO I.

**O**ccisio *Christi*, & Venditio *Josephi*, actiones malæ fuerunt, & scelera gravissima, id verò quod *Christus*, & *Joseph* tulerunt æquo animo, passio bona fuit. *Resp.* Sicut *Judæi* *Christum* injustè crucifigebant & occidebāt, & fratres *Josephi*, injustè *Josephum* vendebant, ita etiam *Christus* injustè crucifigebatur & occidebatur, & *Josephus* injustè vendebatur, quod autem *Christus* & *Joseph*, æquo animo id tulerunt, id passioni *Christi* & *Joseph* est per accidens neque id ab interfectores & venditoribus erat.

OBJECTIO 2. *Christus* illuminat omnem hominem, *Joh. 1.* nec tamē omnis homo illuminatur. *Resp.* *Erasmus* in paraphrasi super hunc locū ait, quod *Christus* illuminet omnē hominem quantum in ipso est. Et eadem est hæc explicatio cum illa, quam *Chrysostomus Hom. IV. in Joh. tradit.* Hæc explanationes verissime quidem id dicunt quod causa cur non omnes illuminantur non sit in agēte nempe *Christo*, sed in hominibus, objectioni tamen non videntur per omnia satisfacere, nā quia dicitur quod *Christus* illuminet omnem hominem necessum erit ut etiam omnis homo illuminetur & actū illuminationis recipiat. Putam⁹ ergò quod, sicut aliās verba activa actionem & effectum denotantia quandoque, juxta regulas & observationes *Philologorum* explicari solent, de voluntate, voto & conatu agendi, verbum activum illuminare commodè explicari possit, ut per illud significetur *Christum* velle, optare & conari omnes illuminare, & salvare, seriò enim *Christus* vult, optat omnium Salutem & conatur per ministros *Ecclesiæ* omnes ad cognitionem veritatis perducere, illuminare & salvare 1. *Timoth. 2.*

F

REGU-



*Omne agens, (Physicum, ut quod) obtinet aliquam*

*formam qua agit.*

## OBJECTIO.

**D**Eus agit & movet, neque tamē obtinet formam aliquam, quā agat, *item* ipsa forma agit nec tamen habet aliā formā qua agat cum formā nō possit tribui alia forma. *Resp:* DEUS non est agens Physicū, forma autē non est agens ut *Quod* sed ut *Quo*.

## REGULA XXXIIX.

*Instrumentum quod (secundum se totum) ad plura utile est,*

*potius est, quam quod ad pauciora,*

*(ex illis pluribus.)*

## OBJECTIO.

**A**rist. 1. Pol. 2. videtur adserere, illud potius & optimum instrumentum esse quod non multis usibus sed uni inservit. *Resp:* illud instrumentum quod pluribus usibus secundum se totum inservit, melius & potius est illo quod uni tantum inservit, quod autē pluribus inservit saltem secundum diversas partes ut *Gladius Delphicus* non statim illo quod uni usui inservit, potius est.

## REGULA XXXIX.

*Instrumentum (quod est corpus) non movet nisi motum*

*(eo modo quo instrumentum dicitur.)*

## REGULA XL.

*Quicquid habet materiam (ex quā componitur) habet etiam formam, & vice versā: Quicquid habet formam (ex quā componitur) habet etiam materiam.*

## REGULA XLI.

*Materia (prima) est cognoscibilis per analogiam (tam ratione essentiae, quā existentiae.)*

## REGULA XLII.

*Materia (prima secundum se,) est ingenerabilis & incorruptibilis, (incorruptibilitate physica terminativē.)*

REGU-



DE CAUSIS.

43

REGULA XLIII.

*Materia (prima) appetit (appetitu innato) formam  
(omnem æqualiter, sed diverso modò. quatenus  
sunt ipsius complementum.)*

OBJECTIO.

**S**caliger Exercit. 61. ait, quod materia non appetat aut appetere possit formam, & ratio ejus est, quia materia habet omnes formas. *Resp.* Materia non appetit formam quam habet appetitu desiderii, sed complacentiæ.

REGULA XLIV.

*Materia (prima) est pura (ab omni actu formali)  
potentia (passiva.)*

OBJECTIO.

**S**i materia prima est pura potentia, est non ens. *Resp.* Materia pura potentia est in ordine ad actum formalem non verò actum Entitativum.

REGULA XLV.

*Ex non ente (negativo) nihil fit (naturaliter.)*

OBJECTIO.

**D**e fide est DEUM ex nihilo omnia produxisse. *Resp.* DEUS ex nihilo supernaturaliter & per absolutam suam potentiam aliquid produxit.

REGULA XLVI.

*Posita formâ (actu informanti) ponitur formatum.*

OBJECTIO.

**I**lli qui Traducem animæ rationalis statuunt si docent à generantibus animam rationalem produci, & à Patre mediante semine communicari, non possunt hanc regulam concedere, quia sequeretur statim post cõceptionem ad esse hominẽ, quod absurdum. *Resp.* Non statim, quando ponitur forma immaterialis, ponitur formatum, nisi ponatur in actu informanti, non informat autem anima rationalis materiam nisi dispositam.

F 2

REGU-



*Quicquid est (certæ speciei) per suam formam*

*(ultimò tale) est.*

OBJECTIO.

**D**EUS est, Ergò per suam formam est. At DEUS non habet formam. *Resp.* DEUS non est certæ speciei.

REGULA XLIIII.

*Forma (ultimò) dat esse (specificum) rei (& per seipsam.)*

OBJECTIO.

**S**I forma dat esse rei, forma tota essentia rei est. *Resp.* Quidam negant materiam esse partem essentia, formam verò totam essentiam rerum, asserunt. Verùm illa sententia meritò exploditur, & rejicitur, Vid *Scotum lib. 3. sent. dist. 22. qu. 1. & Javellum lib. 7. Met. qu. 10.* dicendum ergò formam dare esse *Rei*, non quidem *materia* ut quidam volunt, quia hæc existentiam suam propriam habet & non à forma acceptam Vid. *Scotum lib. 2. dist. 12. quæst. 2.* ubi sententiam *Thoma* simul refutat. Et *Svarecz disput. Met. 13. sect. 4. n. 13. Sed compositio & quidem ultimò.*

REGULA XLIX.

*Forma est indivisibilis (in materiam & formam.)*

REGULA L.

*Omnis finis (quatenùs talis) est bonum quid.*

OBJECTIO I.

**S**I omnis finis est bonum quid, nemo potest appetere malum, Sed hoc absurdū esse videtur, 1. exinde quia hoc modo nullus homo peccatum haberet, quod est contra Script. S. 2. tolleretur etiã libertas voluntatis nostræ. *Resp.* Ad 1. Aliud est appetere malum simpliciter, aliud appetere malū *ut malū*, s. sub *ratione* mali, homo sæpè appetit malū Vid *Gen. 6. & 8.* & in eo peccat, non autè appetit illud quatenùs malum sed sub *ratione* alicujus boni. *Dicitur:* tolleretur tamen Peccatum *Ex malitiâ.* *Resp.* Negando, nam peccatū *ex malitiâ* est quod absque ignoratiã, scienter & absque passi-



passione, ex pleno libertatis usu, nulla victi appetitus vehementia committim<sup>9</sup>, Vid. Theologos nostr. passim & ex Pontif. *Becan.* part. 2. *Th. Schol. tract. 2. c. 4. n. 8.* Possumus autē committere peccatum scienter & volenter ut non statim illud velimus sub ratione peccati, & mali alicujus, quia *Nemo intendens ad malum operatur.* Ad 2. *Resp.* Libertas voluntatis nostræ non consistit in hoc quod possimus velle malum sub ratione mali, nec libertas propriæ estimanda est ex tendentia in oppositum, sed ex actione & actionis suspensione, quia aliàs DEUS qui non fecit opposita, non esset verè liber. *Vid. de hâc regulâ Becan. part. 2. Theolog. Schol. tract. 1. c. 2. qu. 7.* qui plures subministrabit objectiones.

## REGULA LI.

*Finis est (vel saltem apparet) melior mediis ad finem (si non ut in se, melior tamen appetenti)*

## OBJECTIO.

**F**inis Solis & Lunæ est, ut dividant diem & noctem & illuminent terram. *Gen. 1. Resp.* Illuminatio ut accidens, est quidem longè ignobilior ipso Sole, melior tamen Sole est illi propter quem homo factus est, nempe *homini.*

## REGULA LII.

*Finis (in quantum finis) est ultimum.*

## OBJECTIO.

**F**inis est principium Arist. *Met. 8. text. 14.* Ergò non est ultimum. *Resp.* Finis est ultimum in quantum finis, principium in quantum causa est. *5. Met. 1.*

## REGULA LIII.

*Finis (cujus) est primum in intentione (ultimum in executione.)*

## REGULA LIV.

*Finis (in quatenus finis est & formaliter) non habet modum aut mensuram (h. e. expetitur in summo gradu in quanto acquiri potest)*



## CAPUT III.

REGULA LV.

*Media babent modum & mensuram (nisi finis sit infinitus, ita ut semper major atque major expeti possit.)*

REGULA LVI.

*Finis dat modum (quem eminenter continet) mensuram (si non positivè, saltem negativè) & ordinem mediis.*

REGULA LVII.

*Ab intentione finis ad jus executionem.*

N. V. C.

OBJECTIO.

**Q**ui vult finem, vult etiam executionem ejus. Ergò ab intentione finis ad executionem ejus V. C. R. sp: Aliud est illum, qui vult finem, velle etiam executionem ejus, Aliud finem, qui intenditur, semper sequi executionem, prius verum posterius autem, de quo regula loquitur, falsum est. v.g. Rom. ii. dicitur: *Conclusit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium miseretur*, quæ verba Apostoli, notante B. Stablio ita quidam explicat ut particulam *omnis* distributivè, non quidem pro *singulis generibus*, sed pro *generibus singulorum* sumi velit. Verum hæc explicatio manifestò dicit, DEUM non omnium hominum salutem velle, quod absurdum & Calvinianum est. Loquuntur autem verba Apostoli de intentione finis, quia DEUS reverà vult & intendit omnium hominum salutem, ex quo tamen non licet inferre hoc. Ergò omnes salvantur quia ab intentione finis ad ejus executionem N. V. C.

REG. LVIII.

*Acquisito fine (cujus, completè,) cessat omnis actio (circa finem ut acquirendum.)*

REG. LIX.

*Finis, qui est opus melior est fine, qui est operatio (in eadem re.)*

REGU-



## REGULA LX.

*Qui vult (voluntate efficaci) finem (qui est causa)  
vult etiam (confuse saltem) media  
ad finem.*

## OBJECTIO.

**Q**ui vult finem, vult etiam media ad finem. At DEUS vult finem peccatorum, nempe punitionem, & gloriæ suæ manifestationem. Ergò vult ipsa peccata. *Resp.* 1. Conclusio quæ hic inferitur, non sequitur ex positis præmissis, nam prædicatum ejus non habetur in præmissis, vera autem conclusio quæ verè fluit ex præmissis tanquam effectus à sua causa, non potest aliquid continere, quod in præmissis non est, nam quod causa non habet, quò illud effectui communicabit? 2. *Finis* in argumento aliter sumitur in Majore aliter in Minore, in illa sumitur *finis* pro causa finali & *sine motionis*, in hac verò pro extremo rei, s. *sine terminationis*, nam punitio non est finis peccantis s. causa finalis, nemo enim propterea peccat ut acquirat pœnam. Quot ergò in argumento termini? *Instas?* Dicitur tamen, *DEUM peccata peccatis punire*, ex quo sequitur DEUM adhibere peccata tanquam media ad punienda alia peccata, & sic illa velle. *Resp.* Hæc propositio quæ est *Thomæ* non hoc vult quod DEUS peccatum posterius immitat ut sit pœna antea commissi, sed quod DEUS ex justo judicio peccanti subtrahat gratiam suam, quæ subtrahat homo labatur in peccata plura, quæ peccata pœna dicuntur non *per se & ratione sui* sed *per accidens* quatenus nim. pœnam futuram augent.

## REG. LXI.

*Unius rei (etiam simul) possunt esse fines (cujus, tam subordinati quam disparati & suo modo etiam ultimi)  
plures.*

REGU-



REGULA LXII.

*Cujus facultatis (artis) finis subordinatur fini alterius facultatis, illi facultas alteri illi facultati subordinatur.*

OBJECTIO.

**B**ellarminus Lib. 5. de Rom. Pontif. rectè videtur ex hac regula probare potestatem temporalem subordinari potestati spirituali adeoque potestatem Politicam esse subjectam potestati Ecclesiasticæ, & Pontifici Rom. competere mutare regna, unquam ea auferre atque alteri conferre, quia finis temporalis subordinatur fini spirituali. *Resp.* Negando & 1. verum non est finem temporalem subordinari (eo subordinationis modo de quo regula nostra loquitur) fini spirituali, nam hic finis facultatis subordinatæ ita se habet, ut, si alteri nempe facultatis subordinatæ fini locus non sit, neque hic detur, nemo enim frænum efficeret, si ars equestris ejusque finis non esset. At potestas temporalis est, & ejus finis nim. pacatè vivere, ut nulla ratio habeatur potestatis Ecclesiasticæ & ejus finis nempe vitæ æternæ. 2. Concessâ illa subordinatione, quæ Bellarminus ex illâ probabit quod ipsi probandum erat, nempe Pontifici Rom. competere jus mutare regna, unquam illa auferre & alteri cõferre. Optica enim Geometriæ subordinatur, & Ars Pharmacopolarum arti medicæ Nec tamen idcirco Geometra in Optici, & Medicus in Pharmacopolarum fortunas jus habet easdemque auferre & aliis conferre potest.

REGULA LXIII.

*Quicquid habet causam finalem (non ob quam agit sed ob quam fit) habet etiam causam efficientem.*

REGULA LXIV.

*Quod potest fieri per paucos, non debet fieri per plures (cæteris paribus.)*

CA-



CAPUT IV.

DE APPETITU.

REG. I.

*Appetitus (in actu secundo) non est, nisi boni (formaliter.)*

OBJECTIO.

**A**ppetimus etiam malum *ut* malum, sicut sapè quis alteri vult mortem, & quidem ut ipsi malum est. *Resp.* particula *ut* vel tantum exponit *materiale* objecti nempe mali, vel *Formale*. Si illud conceditur. Si hoc negatur.

REGULA II.

*Appetitus (vel sensitivus vel rationalis) non fertur (nisi in cognitum & quandoque simplici apprehensione tantum, non autem)*

*in incognitum* (h. e. rem incognitam non autem scientiam incogniti.)

REGULA III.

*Voluntas (inefficax) est impossibilem (apparenter talium.)*

REGULA IV.

*Electio non est impossibilem (quæ ut impossibilia cognoscuntur)*

REGULA V.

*Voluntas (naturaliter) non potest cogi (quoad actus elicitos, absolutè.)*

REGULA VI.

*Coacta (non absolutè sed secundum quid) voluntas, est voluntas.*

REGULA VII.

*Qui vult causam, ille quoque effectum (quem ex illa causâ de terminata & certò novit secuturum) vult (vel per se, vel per accidens, Indirectè & permissivè.)*

OBJECTIO.

**E**X hâc regula sequitur, Deum velle peccata, quia & ille consensum suum nobis præbet, ex quo prævidet necessariò secuturum esse peccatû, sicut is, qui alicui porrigit gladiû, quem videt velle occidere, velle mortem & causa necis exinde causatæ dicitur. *Resp.* sunt quidam qui putant, peccata nostra DEO Voluntaria dici posse, non absolutè, indirectè tamen & permissivè.

G

Verùm



Verum hæc sententia approbanda non est, nam nullo modo Deus peccata vult, sed circa illa se habet merè negativè Ad objectionem dico, non sequi ex hæc reg. Deum velle peccata, quia Deus cōcursum nobis præbet in actu primo in determinatum, ita ut posito illo cōcursum homo adhuc liberè operatur. Exemplum allatum non est simile quia is qui alicui porrigit gladium, non illū causā liberæ & indifferēti porrigit, sed jã determinatæ.

## CAPUT V.

## DE BONO ET MALO.

## REG. I.

*Majori bono (in eodem oppositionis genere) majus opponitur malum (si bona fuerint disparata)*

## OBJECTIO 1.

**V**isio Dei non est minus bonum, quam amor ejus, utpote in qua consistit beatitudo, & tamen Odium Dei est majus malum quam carentia visionis beatitudinis. *Resp.* Non idem hic oppositionis genus est. Odium & amor opponuntur contrariè, visio verò & visionis carentia privativè.

**OBJECTIO 2.** Diligere inimicum est præstantius & melius bonum, quam diligere amicum *Matth. 5. v. 44. 45. 46. 47. 48. & Rom 5. v. 8. & 10.* At Odisse Amicum gravius malum est quam odisse inimicum. *Resp. Gregorius de Valentia Tom 3. disp. 3. quest. 3. punct. 3. col. 734.* scribit: *Esse perfectiorem & magis meritoriam dilectionem amici quam inimici per se loquendo.* Verum hæc sententia contradicit Scripturæ *Meth. 5. v. 47.* Tribuit quidem Gregorius, hæc sententiam *Thoma lib. 2. qu. 27. art. 7.* & communiter *Scholasticis in 3. dist. 30.* verum falsò, nam quod Thomam attinet ille videatur c. l. & contrarium patebit. Porro etiam *Scholasticis in 3. dist. 30.* hic communiter contrarium tenent. E multis videntur. *Scotus quest. 1. & Durandus qu. 2. c. l.* Negamus ergò melius esse diligere amicum quam inimicum, nec sequitur quia obje.



## DE BONO ET MALO.

38

objectum ibi melius est, & ipsam dilectionem esse meliorem, sicut *Gregorius* c. 1. colligere vult, quia bonitas actus dilectionis non sumitur hic ab objecto amico vel inimico sed à *fine* nempe Deo, nam proximus in quantum proximus, non est ratio terminandi *Secus* 3. dist. 28. qu. 1. sed totalis ratio amandi Deus est. *Beatus Theolog. Schol. part. 2. tract. 1. cap. 4. qu. 3. n. 10.* Ad *Object.* dico, quod dilectio amici & dilectio inimici non sint bona disparata, nam dilectio inimici includit dilectionem amici. Et hæc responsio *Durandi* quoque est. c. 1.

REGULA II.

*Quod (bonum) est (ex se) diuturnius (cæteris paribus) est nobilius, minus diuturno.*

REGULA III.

*Bonum conservat (si non positivè, saltem negativè) id cuius est bonum.*

REGULA IV.

*Absurdum est, ut alienum vitium interimat aliquid, cui proprium vitium non præbet interitum.*

REGULA V.

*Natura (non impedita) semper facit id quod est optimum (non simpliciter sed in illa specie que fit.)*

REGULA VI.

*Natura semper intendit (intentione primâ) id quod est optimum (in unaquaque re.)*

## CAPUT VI.

### DE ABSTRACTO ET CONCRETO.

REG. I.

*Si abstractum predicatur de abstracto etiam concretum predicatur de concreto.*

REGULA II.

*Si concretum predicatur (in quid, vel in quale, ita ut abstracta sola ratione distinguantur) de concreto, etiam abstractum predicatur de abstracto.*

62

OBJE.



**R**ecte dico: *DEus est Homo, & Homo est DEus.* Non autem *Deitas est Humanitas, & Humanitas est Deitas.* Resp. Deitas & Humanitas non sunt abstracta vocum *DEus* & *Homo* in allatis propositionibus, quia concreta illa substantiva non supponunt pro naturis sed persona. Et sensus harum propositionum est. *DEus* (h. e. persona DEi) est homo (h. e. persona hominis & cōtra.)

## REGULA III.

*Cui inest abstractum* (quod non prædicatur in quid, & eo modo quem importat concretum, & si recipiat magis & minus, in sensum ultra dimidium, vel ad minimum, nisi certam aliquam partem denominet, extra sum secundum maximam partem) *de eo* (quandiu inest) *prædicatur* (simpliciter) *concretum* (respondens in essentia abstracti, si quod habet.)

## REGULA IV.

*Ab inesse* (immediate) *ad prædicari* V. C.

## OBJECTIO.

**Æ**ternitas, Simplicitas, & Infinitas, sunt in humana natura, siquidem teste Scriptura S. in illa *Tota Divinitas plenitudo habitat Col. 2.* non tamen hæc attributa de humana natura possunt prædicari, quia non possumus dicere, Humana natura est simplex, æterna, & infinita. Resp. Attributa hæc humanæ naturæ non competunt immediate, sed mediate, quædam autem tantum denominant ea quibus immediate insunt, quoniam nim. repugnat ea de his prædicari, sicut simplicitas & spiritualitas animæ rationalis insunt homini nec de eo prædicari possunt.

## REGULA V.

*De quo prædicatur concretum* (intrinsecè,) *et inest* (vel formaliter vel virtualiter) *abstractum.*

## REGULA VI.

*Abstractum est forma* (h. e. ratio, per quam aliquid tale est) *concreti.*

## REGULA VII.

*Abstractum est prius* (vel re ut candor candido, vel ratione, ut Deitas Deo) *concreto.*

OBJE-



## OBJECTIO.

**M** *Irindulanus Lib. de Ent. & Uno cap. 3. Et Scaliger Exerc. 365. sect. 6.* asserunt omne abstractum realiter differre à concreto, eoque re semper prius esse, unde etiã negant DEUM rectè dici *Ens*, sumtã hãc voce pro concreto. *Resp.* Humani aliquid hìc passus est. *Scaliger*, nam falsum est omne abstractum realiter differre à concreto, ut patet exemplo divisibilitatis, quæ est abstractum est & forma per quam quantitas est divisibilis, divisibilitas verò non differt re à divisibili, sed solà ratione.

## CAPUT VII.

## DE SIMPLICI ET COMPOSITO, TOTO ET PARTIBUS.

## REGULA I.

*Simplex est prius (naturã, suo) composito.*

## REGULA II.

*Pars (secundum esse absolutum) est prior (ordine naturæ generantis, & cognitione distinctã, suo) toto (actuali, cujus resp. pars dicitur)*

## REGULA III.

*Totum (eo modo, quo est totum) est majus (suis) partibus (seorsim sumtis.)*

## OBJECTIO.

**T** Oh. 6. v. 13. legitur, quod ex quinque panibus, quibus unã cum duobus piscibus Christus 5000. fermè viros cibavit, superfuerint duodecim cophini fragmentorum, ubi fragmenta partes fuerunt quinque panum, at longè majora toto nempe quinque panibus. *Resp:* Quinque panes *dupliciter* considerari possunt. 1. *In se*, & quales erant per naturam ante benedictionem. 2. Ut erant post benedictionem. Fragmenta fuerunt majora quinque panibus priori modo consideratis, at eo modo non fuerunt Totum. Posteriori autem modo consideratis, quinque panibus, quo modo Totum sunt, Fragmenta majora illis non fuerunt.



## REGULA IV.

*Totum (per se) & partes sunt in eodem predicamento.*

## REGULA V.

*Quicquid est pars partis, est quoque pars totius.*

## OBJECTIO.

**N**Ota controversia est, quæ agitur inter nos & Pontificios, de Ecclesiæ membris quænam illa sint, an soli fideles & sancti, an verò quoque infideles & mali? Pontificii posterius affirmant ut patet ex definitione Ecclesiæ Bellarmini lib. 3. de Eccl. milit. c. 2. Prius nos affirmamus ut apparet ex definitione quam tradit Augustana Confessio Art. 7. & 8. Ecclesia autem à nostratibus sumitur hic propriè, Per justos verò & sanctos non intelliguntur illi qui omni peccato carent ut *Cathari & Pelagiani August. heres. 38.* unde nec illis accensendi sumus ut vult *Suaresz de Tript. Virs. Theol. disput. 9. sect. 1. n. 8.* In hac controversiâ *Gustielmus Whitakerus in prælectionibus de Eccl.* concedit Ecclesiam Universalem constare solis bonis, particulares verò Ecclesias constare bonis & malis, Et hic non videtur admittere regulam nostram, nam Universalis ecclesia respectu particularium habet se ut Totum resp. partium, nihilominus concedit aliquid contineri in parte, quod non contineatur in toto. Resp: quia *Whitakerus* concedit malos non contineri in Ecclesia Universali, firmiter ex eo inferimus illos nec contineri in Ecclesiis particularibus, cum impossibile sit aliquid contineri in parte ut non contineatur in Toto, juxta regulam nostram, quam pro verâ habemus usque dum ab aliis falsa esse demonstratur.

## REGULA VI.

*Omne totum (positivè tale) aliquo modo (sc. resp. partium) multum est.*

## REGULA VII.

*Omne totum (quatenus tale) est unum.*

REGU-



## REGULA IIX.

*Pars (totius per se, actualis & physici) non predicatur  
de toto (in casu recto.)*

## OBJECTIO.

**B** *Lutherus Sacramentum altaris in catechismis suis definit, quod sit verum corpus & verus sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo institutum. Hæc definitio à Calvinianis taxatur & videtur pugnare cum nostra regulâ. Resp: Hæc definitio malè reprehenditur à Calvinianis nec pugnat cum nostrâ regulâ, nam genus in hæc definitione non est corpus & sanguis, sed manducatio corporis & sanguinis. Videatur B. Meisnerus Phil. Sobr. pars. 1. sect. 1. c. 2. qu. 1. & pars. 2. sect. 2. qu. 15.*

## REGULA IX.

*Totum (per se, actuale physicum) non predicatur  
de parte (in casu recto.)*

## REGULA X.

*Quicquid predicatur de parte, (totius actualis, secundum esse absolute, illud) predicatur (vel simpliciter vel secundum quid s. cum appposito) de toto.*

## REGULA XI.

*Quicquid predicatur de toto (universali vel essentiali Logico, in se) illud predicatur etiam de parte (respondente.)*

## REGULA XII.

*Positis omnibus partibus, (ut partibus) ponitur totum  
(illud cujus sunt partes.)*

## OBJECTIO.

**I**n triduo mortis partes humanæ naturæ CHRISTI ponantur quidem sed non ut partes s. in esse partium, quia dissolutæ erant, nihilominus quidam ut Hugo & Lombardus in ea sententia fuerunt, Christum in triduo mortis verum fuisse homi-



hominem. *Resp.* Hæc sententia stare non potest, nam partibus hominis inter se non unitis & conjunctis non ponitur homo *August. 13. de Civit. Dei c. 23.* Et falsum est quod dicit *Magister*, Unionē anima & corporis ad verbum esse adæquatam rationem cur Christus dicatur homo, quia etiam requiritur unio partium *inter se.* Nec ullius momenti est ratio Hugonis, quæ vult, animā esse totam essentiam hominis, & totum suppositū, uti verò corpore tantū *accidentalis*, quia materia est pars quoque hominis *essentialis* *Vid. Scot. 3. dist. 22. qu. 1. Jav. l. 7. Met. qu. 9. & plures alios.*

## REGULA XIII.

*Sublatā quacunq; parte, (Essentiali & Integrali princi-*

*pali) tollitur totum.*

## OBJECTIO.

**E**X hâc regula sequitur *Pontificios* non habere verum *Sacramentum Cœna*, quia *Poculum* partem hujus Sacramenti de eo tollunt & auferunt. Et quod *poculum* pars Cœna sit, probatur exinde, quia habet rationem Elementi, nec diffiteri hoc audent ipsimet *Pontificii.* *Vid. Dn. Fratres à Wal. nurch in resp. ad Johan. Hundium.* Quod autem dicunt ad rationem hujus Sacramenti sufficere Christum sumi sub aliquo signo externo sive pane, si-  
ve vino, ut ita poculum à Cœnâ, salva manente essentia ejus possit abesse, illud falsum est, & nititur falso illo fundamento nim. *Totum Christum contineri sub qualibet specie.* *Vid. Becan. Theol. Schol. part. 3. tract. 1. c. 1. qu. 8.* Potest autem Id *dupliciter* intelligi, 1. *Per naturalem concomitantiam.* Ut Christus sub qualibet specie totus sit quatenus ob naturalem unionem corpus semper est, ubi sanguis & anima ejus sunt & contrâ, 2. *Vi Sacramenti*, ut Christus totus (corpus nim. & sanguis ejus,) sit sub qualibet specie, vi verborum institutionis. Si *priori modo* intelligunt id concedimus, sed iste modus huc non pertinet. Sin autem hoc posteriori modo intelligunt ut omnino intelligi debet falsissimum est. Et ostenderē hoc plurib' nisi ipsimet Pontificii vi veritatis coacti ad mihi



mihî concederent. *Vid. Scot. lib. 4. dist. 8. quest. 1. n. 2. & Becan. Theol. Schol. Part. 3. tract. 2. c. 19. qu. 1. n. 3.* Manet ergo firmum, *Poculum S. Cœnæ* partem esse, adeoque illo ablato totum tolli Sacramentum. Nam & illo concessio, quod tantum pars integralis sit, principalis tamen erit, quatenus non solum vinum sed etiam Sanguinem Christi continet. *Sublatâ autem tùm parte Essentialitum integrali principali* totum tollitur, juxta regulam nostram. *Resp.* Rectè hoc sequitur ex hâc regula, & dextrimè quoque ex illa *Pontificii* refutari possunt.

REGULA XIV.

*Posito toto (essentialem, & integrali) ponuntur omnes partes (essentiales & integrales principales.)*

REGULA XV.

*Sublato toto (ut toto) non necess. est tolli omnes partes (secundum esse absolutum.)*

CAPUT VIII.

DE GENERE ET SPECIE.

REGULA I.

*Genus (materialiter sumtum) predicatur de omnibus speciebus (& individuis) sub se contentis.*

REGULA II.

*Quicquid predicatur (vel negatur) de genere (materialiter sumto) predicatur (& negatur) etiam de specie.*

REGULA III.

*Genus (natura) est prius specie.*

REGULA IV.

*Genus est latius specie (singulâ.)*

REGULA V.

*Species est collectiva multorum in unam naturam & adhuc magis generis (ratione extensionis.)*

H

REGU-



## REGULA VI.

*Genus continet species, & species continentur (potentia)  
& non continent (nisi actuali continentia)*

genera.

## REGULA VII.

*Negato genere (materialiter) negatur*

species.

## REGULA VIII.

*Affirmato genere (materialiter) non affirmatur*

species (determinate.)

## REGULA IX.

*Genus (ut est genus) & species sunt in eodem  
pradicamento.*

OBJECTIO.

**E**X hac regula rectè videtur rejicere Keckermannus lib. 1. Syst. Log. c. 3. definitionem Sacramenti Cœnæ B. Lutheri quam in Catechismo suis nobis reliquit. Resp: Negando, & vide de illâ supra de *Toto & Parte*.

## REGULA X.

*Genus significat naturam quandam (ratione)  
diversam à speciebus.*

## REGULA XI.

*Tota natura generis (materialiter sumti) continetur  
in qualibet specie.*

## REGULA XII.

*Quod continetur sub genere (ut inferius sub superiori,) continetur  
sub aliqua specie (vel ipsum est species immediatè  
tali generi subiecta.)*

## REGULA XIII.

*Genus pradicatur de speciebus aequaliter, (h. e. in eodem  
gradu.)*

CA-



CAPUT XI.

DE DIFFERENTIA.

REGULA I.

*Omnia differentia habet sibi oppositam (suo modo) differentiam.*

REGULA II.

*Differentia non debet esse accidentalis (sux) species.*

REGULA III.

*De differentiâ non prædicatur (prædicatione naturali & ordinatâ) genus.*

REGULA IV.

*Differentia (essentialis) debet esse in eodem prædicamento, in quo est id, cuius est differentia.*

OBJECTIO.

**A**ccidentia quandoque definiuntur per subjectum quod est substantia v.g. *Tonitru est sonus in nube.* Resp: In eiusmodi descriptionibus non subjectum sed habitudo ad subjectum est differentia, illa habitudo verò non pertinet ad prædicamentum relationis, quia non omnes respectus ut transcendentales, qualis est, quem omne accidens habet ad suum subjectum, in prædicamento relationis collocantur.

REGULA V.

*Differentia (entis positivi, ut in se est,) non debet esse negativa.*

OBJECTIO.

**D**ELIS describitur quod sit *Essentia infinita, immensa, indivisibilis, &c.* Resp. Hæ differentia non sunt negativæ in se sed saltem quoad verba, & secundum modum significandi.

REGULA VI.

*Differentia non reciprocatur cum eo cuius est differentia (divisiva.)*

REGULA VII.

*Generum diversorum (i. ita ut nec unum sub altero, nec utrumque sub uno tertio summo contineatur, 2. vel si sub uno tertio ut alterutrum, vel 3. utrumque immediate contineatur,) diversa sunt specie differentia, (tam constitutiva quam divisiva.)*



*Non omnis differentia facit aliud.*

## OBJECTIO.

**I**N divinis personæ differunt personalitatibus, at differentiæ personales omninò faciunt alium, & alium, sic alius est Pater, alius est Filius, alius est Sp. S. *Resp.* 1. Non dicitur in *regulâ* quod nulla differentia faciat aliud, sed non omnis, v. g. accidentales quæ non attingunt subjeetorum suorum substantiam. 2. Distinguendum est inter esse *Aliud* & esse *Alium*. Illud aliam naturam. Hoc personam aliam indicat. Unde *Augustinus in lib. de fid. c. 3.* ait: *Una est Patris, & Filii, & Sp. S. essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, & aliud Sp. S. quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.*

## CAPUT X.

## DE DEFINITIONE.

## REG. I.

*Definitio constet ex notioribus & prioribus*

(naturâ.)

## REGULA II.

*Definitio nem licet ponere loco definiti, (quando solum res ipsa attenditur, nisi jam tam definitum, vel aliqua pars fuerit posita vel explicitè vel implicitè, & in eadem orationis parte.)*

## REGULA III.

*Definitum (totum) non debet ingredi definitionem (vel expressè, vel consecutivè.)*

## REGULA IV.

*in definitione (perfectâ) ponatur genus proximum (vel intermedie differentie addantur.)*

## REGULA V.

*Unius rei (ut est una) unica est definitio (proprie dicta.)*

REGU.



## DE DEFINITIONE.

61

## REGULA VI.

*Definitio (Essentialis, materialiter sumpta) debet reciprocari cum aefinitio (etiam materialiter sumto.)*

## REGULA VII.

*Definitio (entis positivi, essentialis,) non debet esse negativa.*

## OBJECTIO 1.

**D**efinitio DEI tota ferè negativa est. *Resp.* 1. Definitio DEI non est definitio sed descriptio, 2. *Pererius lib. 5. de mas. & provat. cap. 11.* ait. Definitiones negativas tolerari debere in duobus rerum generibus. 1. In rebus imperfectissimis, qualis est materia prima. 2. In rebus perfectissimis, cujusmodi est DEUS.

**OBJECTIO 2.** 1. *Joh. 3.* legitur talis definitio peccati: *ἡ ἀμαρτία. ἢ ἡ ἀνομία* hoc est peccatum est aberratio à lege. At hæc definitio negativa est. *Resp.* Peccatum non est ens positivum sed privativum. *Dicitur:* Docent tamen Theologi quidam, peccatum esse positivum. *Resp.* Fatetur *Excellentissimus Dn. B. Stablius in discursu suo ad Tabellas Met.* obscurum esse quid hic Theologi per vocabulum *Positivi* intelligant. *B. Meisnerus* per illud nihil aliud videtur intelligere quam privationem. Ita enim in *Antropologia sua Dec. 1.* In quæstione: *An omne malum sit Ens merè privativum?* ait: *Corruptionem & depravationem* (scilicet privationem perfectionum) natura, à seipsoes *justitia originalis distinctam, termino* (Positivi scilicet) *positiva qualitatis unice notatam volumus.*

## REGULA VIII.

*Omnis definitio (entis per se) constat ex genere & differentiâ.*

## REGULA IX.

*In definitione (inter genus & differentiam) non debet esse usus conjunctionis copulativa, & disjunctiva (nisi differentia specifica sit ignota.)*

H 3

REGU-



REGULA X

De quocunque affirmatur vel negatur definitio (materialiter sumpta, essentialis) de eo etiam affirmatur vel negatur definitum.

OBJECTIO.

**C**alviniani negant placentulas orbiculares s. Hostias quibus in Sacrae Coenae administratione utimur, esse verum panem, cum tamen illis verè competat definitio panis. Nam Panis describi potest, quod sit Alimentum, constans ex farina & aqua ita inter se commixtis, ut crassiori humore absorto consistant, atque masticari & in corporis nutritionem cedere queant. At hæc descriptio competit etiam Hostiis nostris. Quod autem dicunt, Hostias non esse alimentum sed ad nutriendum & alendum planè inutiles sicut sæpè & passim calumnioso ore ita elaminant: *Ich der Hostien wie viel du wilt / sie werden dich nicht sättigen oder nehren. Item: Die Hostien sind so gar Brodlos / daß ein jeder zur Sättigung / wol einen Schub-Karren voll haben müste.* Illud falsissimum est, nam actu non nutrire sensibilter, & sedare famem Hostias concedo, sed hoc ipsis est per accidens & exinde absurde colligitur, illas non esse verum alimentum nam nec panis vulgaris in tam exigua quantitate sumtus nutrit, qui tamen Calvinianis ad alendum inutilis non dicitur. In majori autem & justa quantitate sumtas Hostias ad alendum quoque inutiles esse nego, & si fidem aliis dare nolunt, faciant, periculum & experientia ipsos in ruborem dabit. Quia ergò Hostia verè competit definitio Panis quib⁹ tamen definitum negant cōpetere, in aprico est, ex mente ipsorum regulam nostram vacillare, Resp. Regula nostra nō fallit, fallitur autē Calviniani & error ipsorū ex nostrā regula dextre refutari potest, quia impossibile est definitionem alicui verè competere, ita, ut ei nullo modo cōpetat definitum.

REGULA XI.

Quicquid affirmatur vel negatur de definitione (materialiter sumpta) illud affirmatur vel negatur etiam de definito, & contrā.

CAPUT



CAPUT XI.

DE DIVISIONE.

REG. I.

*Divisum & omnia membra divisionis simul sumta*

*debent inter se adaguarè,*

OBJECTIO.

**P**hyfica dividitur in partem communem & propriam, quæ duæ partes tamen latius patent diviso quia etiam Metaphyfica & Logica ita dividi solent. *Resp.* Partes hæc, propria & communis ut sunt Physicæ, non competunt aliis.

REGULA II.

*Divisum debet plus continere, quàm singula divisionis membra*

*(in eodem continentiz genere.)*

REGULA III.

*Membra divisionis (quæ est generis in species immediatè)*

*debent inter se esse opposita (suo modo.)*

OBJECTIO.

**P**rædicabile dividitur in genus, speciem, differentiam, proprium & accidens; & tamen ipsum divisum nempe prædicabile continetur sub aliquo membro nempe *Genere*. Item omnia membra hujus divisionis continentur sub uno membro, nempe *specie*. *Resp.* Prædicabile dividitur in dicta membra tanquàm genus in suas species, & illa continentur *Essentialiter*. Ipsum verò prædicabile sub nullo membro continentur *essentialiter* nec omnia membra eo modo sub uno nempe *specie* continentur, nã hæc prædicationes. Prædicabile est gen<sup>o</sup>, & Genus est species prædicabilis, &c. sunt accidentales.

REGULA IV.

*Divisio debet fieri in partes (inter se & resp. divisi) immediatas.*

REGULA V.

*Per negationem (vel privationem) non est dividendum*

*genus in species, (nisi certis de causis.)*

REGULA VI.

*Cujus divisionis membra continent rationes contradictorias (vel formaliter vel virtualiter, & quidem ita, ut alterum cum negatione recipitur cum altero) inter illa non datur medium (quod tamen continentur sub toto.)*

CA.



DE SUBJECTO ET ACCIDENTE.

REG. I.

*Quicquid advenit enti (post essentiam vel existentiam,) illud est (ejus) accidens (prout hoc opponitur Essentia & quarto prædicabili.)*

OBJECTIO.

**E**X hâc regula fluit. *Humanam naturam esse accidens λόγῳ.* quod tamen absurdum & Nestorianum esse videtur. *Resp:* Non videtur absurdum *Humanam naturam* dici accidens λόγῳ, quatenus accidens sumitur pro eo quod non est de essentia alicujus, vel salvâ essentia ejus rei, cui unitum est, potest adesse & abesse. *Humana enim natura* non est de essentia λόγῳ, & posito illam separari à λόγῳ, essentia λόγῳ non destrueretur. Ex hoc autem sequi *humanam naturam* tantum accidentaliter esse unitam λόγῳ, adeoque regulam hanc Nestorio favere non existimo, quia necessarium non est, ut omne accidens quocunque modo sumtum accidentaliter tantum sit unitum subjecto & accidentaliter de eo prædicetur. Adde tamen ab ejusmodi locutionibus abstinendum esse, tum propter adversarios, tum propter alios, terminorum in illis occurrentium non satis gnaros.

REGULA I.

*Omne accidens (h. e. forma) est in subjecto fini proportionato.*

REGULA II.

*Quod (ut positivum) excluditur (formaliter & immediatè)*

*per accidens aliquod, id ipsum est accidens.*

REGULA III.

*Accidens (idem numero) non migrat de subjecto (immediato) in subjectum.*

REGULA IV.

*Accidentis nõ est accidens, (tanquã subjecti ultimi, sive originalis.)*

REGULA V.

*In Deum non cadit accidens (prædicamentale, exceptâ relatione.)*

REGU.



## OBJECTIO 1.

**V**orsius *Tract. de Deo & attribut. div.* hoc axioma planè re-  
jicit, & contrà docet, in DEO dari accidentia quædam ab  
ipsius substantiâ longè diversa, ut *Decreta* quæ ab essentia ejus re-  
aliter differre manifestis verbis docet e. l. p. 207. probat verò id  
*dupliciter*. 1. Quia decreta DEI multa sunt, Essentia autè unica est.  
2. quia decreta sunt libera, Essentia verò necessaria. 3. Decreta  
DEI nò sunt ab æterno, Essentia DEI est ab æterno. *Resp.* Hæc sen-  
tentia *Calvinista* absurda est & falsum est, Decreta DEI esse acci-  
dentia ab essentia ipsius realiter diversa, nec probationes quas  
afferit id evincunt. Ad 1. *Resp.* Decreta DEI *dupliciter* posse consi-  
derari. *In se*, 2. *respectu objectorum* ad quæ terminantur. Hoc po-  
steriori modò, Decreta DEI quodammodo multa dici possunt,  
non autem priori, quo in sensu id asserit *Vorsius*, quia non sunt  
multi actus volùtatis divinæ, sed unus simplex actus, quo omnia  
decernit. Ad 2. Decreta DEI rursùs *dupliciter* considerari possunt  
1. *In se* 2. *resp. terminatiōnis libera.* Hoc modo libera sunt decreta  
DEI, Illo nò libera ut *Vorsius* vult sed necessaria sunt. Ad 3. Nego  
Decreta DEI non esse ab æterno. ratio *Vorsii*, quod causa libera  
semper antecedit effectum suum ordine temporis s. durationis  
eò quod libera actio supponat deliberationem in intellectu,  
nulla est, nam actiones intellectus & voluntatis in DEO sunt in-  
divisibiles & producuntur in instanti, nec DEUS prius proponit,  
rationatur aut colligit *Scaliger Exercit. 365. sect. 8.* Et *Vorsius*  
sibi ipsi contradicit, dum manifestis verbis faceret, decreta DEI  
esse ab æterno pag. 66.

## OBJECTIO 2.

Sapientia est accidens prædicamentale. Hæc autem in DEO  
est. Erg. *Resp.* Sapientia creaturarum est accidens prædicamen-  
tale, non verò DEI Pertinet huic illud Theologorū: *Quæ in crea-  
turis sunt accidentia cum DEO attribuuntur, transseunt in substantiam.*



## REGULA VII.

*Quod in uno est accidens, (prædicamentale) in alio  
(cui univoce competit) non est substantia.*

## OBJECTIO.

**S**apientia in homine est accidens, in DEO est substantia.  
*Resp: Sapientia non competit DEO & homini univoce.*

## REGULA VIII.

*Duo accidentia solo numero diversa (aliâs quocunque modo & re-  
spectu convenientia) non possunt (simul) esse in uno sub-  
jecto (secundum eandem partem.)*

## REGULA IX.

*Unum numero accidens (secundum se totum) non potest  
(de potentiâ ordinatâ, simul) esse in duobus  
subjectis (diversis.)*

## OBJECTIO.

**E**X hâc regula Bellarminus lib. 1. de Justif. c. 6. & alii, rectè vi-  
dentur concludere fidem nostram, quam ratione, *notitia* &  
*assensus* collocamus in intellectu & ratione fiducia in Volunta-  
te, esse monstruosam fidem & Chimæram, quia subjectis differt,  
& ita à seipso realiter distinguuntur, *Resp: falsò id colligunt Pon-  
tificii ex regula nostra, nam 1. Fides non est secundum se totam  
in pluribus subjectis sed secundum unam partem in hoc, secun-  
dum aliam in alio, Est enim qualitas non simplex fides, sed una  
per aggregationem. 2. Fides, licet sit in pluribus subjectis, non  
tamen est in subjectis realiter distinctis & divisis, nam intelle-  
ctus & voluntas non sunt potentiæ à parte rei distinctæ, sed sunt  
realiter idem, ut melior habet sententia. E multis videantur  
Scaliger Exercit 307. s. c. 15. & B. Slevoigiuis disput. Acad. 1b. 23.  
3. Ipsimet Pontificii fidem ad intellectum & voluntatem refe-  
runt. Vid. Bellarminus c. 1 cap. 10.*

## REGULA X.

*Quæ easdem habent proprietates (ut proprietates) eandem  
habent essentiam & contrâ.*

OBJE-



## OBJECTIO.

**E**X hâc regula sequitur Divinam & humanam naturam, e-  
jusdem esse essentiam, quia humana naturâ communicata  
sunt omnia attributa divinâ naturâ ex sententia Orthodoxorû,  
quod tamē *Eutychianum* est. *R. sp. Calvinianus* ita quidem videtur,  
unde nō rarò *Lutheranos Eutychianis* accēsent. Verūm falsò. Ad  
*object.* dico proprietates dupliciter cōsiderari posse. 1. *Materialiter*,  
2. *Formaliter*. Axioma nostrum valet de proprietatibus, formaliter  
& ut sunt proprietates, non vero materialiter consideratis.  
Quando ergò sub sumunt Calviniani: Divina & humana natu-  
ra habent easdem proprietates, & proprietates sumunt *formali-*  
*ter*, minor evadit falsa, & *Lutheranus* non nisi per calumniam  
attribuitur. Si vero proprietates *materialiter* sumunt, minor  
quidem vera, sed major falsa est.

## REGULA XI.

*Quorum sunt diverse natura, eorum etiam diverse sunt  
proprietates, & contrâ.*

## OBJECTIO.

**E***utyches* statuit in Christo unam esse naturam, in quo tamen  
diversæ dantur proprietates. *Resp.* Erravit in hoc *Eutyches* &  
error iste ex eo ortum traxit quod non intelligere potuit, quo-  
modo naturarum dualitas stet cum una personâ, putavit nam-  
que naturam non posse esse absque propria subsistentiâ &  
unam subsistentiam non plures posse afficere naturas, unde  
unam respiciens personam, unam censuit esse naturam, Et por-  
rò unam intuēs personam à naturarum proprietate deseivit, &  
ipsam divinitatem asseruit esse passam, ut pulchrè ostendit *Vi-*  
*gilius* contra *Eutychen*. Refutari autem potest iste error ex nostra  
regula, nam quia diversæ in Christo sunt proprietates, quod eti-  
am *Nestorius* agnovit, sequitur in illo esse diversas naturas, non  
autem plures personas sicut vult *Nestorius*.



DE EODEM ET DIVERSO.

REG. I.

*Identitas major præsupponit minorem, (si non positivè, saltem negativè.)*

OBJECTIO.

**D**Eus est idem numero non tamen est idem specie, nec idem genere. *Resp:* DEus tanquam idem numero, præsupponit identitatem specificam & genericam, negativè, quatenus non est diversus vel specie vel genere.

REGULA II.

*Quorum unum potest esse sine altero, vel quæ sejuncta esse possunt, illa (quantum ad id, secundum quod unum sine altero esse potest) distinguuntur realiter (vel modaliter.)*

OBJECTIO.

**R**elatio potest abesse à fundamento, quia homo potest esse sine paternitate, & tamen relatio & ejus fundamentum non distinguuntur realiter. *Resp:* Relatio duo importat, *Unum* Intrinsicum, quod est ipsum fundamentum, *Alterum* extrinsecum, quod est terminus, ad quem relatio subiectum refert. Quantum ad extrinsecum, relatio potest esse sine fundamento, & hoc modo etiam ab eo realiter distinguitur, quantum verò ad intrinsicum, relatio nec à fundamento distinguitur, ut dictum est, nec sine eo esse potest.

REGULA III.

*Quæ sunt eadem (realiter & virtualiter) uni tertio (universaliter sumto, si fuerit universale) sunt eadem inter se (in eadem identitalis proportionè.)*

OBJECTIO.

**P**ures hæreticos fuisse, qui summum Trinitatis mysterium à Seculis absconditum negare & ex ratione ausi fuerint refutare illos, qui leviter & per transennam Historiam Ecclesiasticam introspexerunt, latere nequit, Negavit Trinitatem *Jabellius* natio-



natione *Afer*, & ex eâ Africa regione & provincia, quæ *Lybia* propriè dicta est, unde etiam à Scriptoribus Ecclesiasticis, *Lybius* sæpè cognominatur. Ante ipsum idem tentavit *Noëtus*, *Asianus* qui *Smyrna* natus & *Sabellii* præceptor fuisse existimatur. Eandem quoque amplexi sunt hæresin, *Praxearum* & *Hermogenes*, & complures alii horum vestigiis insistentes qui ab his dicti sunt *Sabelliani*, *Noëtiani*, *Praxetani*, *Hermogeneani*. Hos secutus est *Arius*, unde *Ariani*. Post hunc, hæresin illam propugnarunt alii, qui *Ariani* recentiores dicti sunt, ut *Photinus*, *Marcelli* discipulus, unde *Photiniani*. Hanc autem hæresin per totum millenarium sepultum ex orco quasi revocavit, *Faustus Socinus*, *Senensis*, *Italus*, unde *Sociniani*. Et his omnib<sup>9</sup> videtur favere regula nostra, nam ita argumentari possunt: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. At relationes in divinis sunt eadem uni tertio, nempe Essentiæ divinæ. Ergo: sunt eadem inter se.* Ad hoc argumentum variè respondent Autores. Illi quidem, qui distinctionem realem admittunt inter essentiam & relationes in divinis facillè hic se expedire possunt, & hanc Sententiam *Scoto* tribuunt, sed obstant plurima loca apud *Scotum*, ut *Lib. 1. dist. 8. qu. 2. & dist. 33. qu. 1. & 2.* & alia, ad quæ benevolum lectorem brevitatis studio remittimus, cujus gratiâ, nec rationē ob quam illi hanc sententiam tribuunt nunc exanimabimus. Fuerunt autem in eâ sententia alii, ut *Gilbertus Porretanus*, *Durandus* & *Nominales*. Alii verò qui idētitatem realem hic inter essentiam & Relationes concedunt, varias excogitarunt solutiones & limitationes *Majoris* propositionis. *Connimbricenses lib. 3. Physic. 2. p. m. 447.* tres ejus adferunt explanationes. *B. Slevogtinus de Sp. Acad. d. 13.* Sex recenset, quas ibidem examinat, & rejectis aliis illam amplectitur quæ est quorundam recentiorum ut *Roderici de Arriagâ*, *Hurtadi de Mend. 2. 2.*, & aliorum. Ponunt autem jam nominati Autores distinctionem inter Essentiam & relationes, *realem virtualē*, in ordine



ad prædicata contradictoria reali actuali æquivalentem, quæ distinctio facit, ut, relationes in divinis, licet à parte rei idem sint cum essentia, non tamen idem sint inter se. Et hanc sententiam nos quoque, ob plures rationes, aliis præferimus.

REGULA VI.

*Eorum, quæ sunt realiter (& virtualiter) idem, communicato uno, necesse est communicari alterum.*

OBJECTIO.

**C**alviniani negant communicationē Idiomatum, quā Theologi orthodoxi unanimiter docēt. Et videntur ex nostro principio illam posse destruere. Ita autem argumentari solēt: *Si Carni s. humana natura in Christo communicata sunt attributa divina: Aut omnia sunt cōmunicata, aut quædam, aut nulla. Sed nō omnia, quia non Infinitas, æternitas & simplicitas, ipsi sunt communicata; Non quædam, quia quæ realiter idē sunt, eorum unū non potest communicari, ut non communicentur reliqua, per regulā nostram. Ergo, inferunt, nulla ipsi esse communicata.* Verūm *Resp.* Negando, non omnia attributa & in specie *Infinitatem, Æternitatem, & Simplicitatem* esse communicata humanæ naturæ. *Vicu.* Non possumus dicere: Humana natura est Infinita, æterna & simplex *Resp.* Distingvendum est inter *communicationem & prædicationem.* Ab illa, ad hanc non valet affirmativè consequentia. Ita v. g. omnes proprietates animæ rationalis communicantur corpori, non omnes autem de eò prædicantur, ut *Simplicitas, & Spiritualitas*: *Instas:* Si quædam attributa divina verè de natura humana prædicantur, etiam omnia de eâ prædicari possunt. *Resp.* Negando *conseq* & contrarium ostendit exemplum de proprietatibus animæ rationalis. Si autem peratur ratio cur non omnia prædicari possint, nulla forsan alia assignari poterit quam repugnantia in subiecto. *Vid. Theologos passim, de hâc controversia, & de hoc argumento Calvinianorum in specie B. Gerhardum in orat. Tom. 1. annexâ.*

CA.



(71)

CAPIT XIV.

DE OPPOSITIS.

REG. I.

*Opposita non possunt dici (simpliciter) de eodem (subiecto singulari, quatenus eodem & eodem tempore)*

OBJECTIO.

**S**ocinus in tractatu quodam perbreui qui agit de DEO & *Sp. S.* *Racovia*, anno hujus seculi undecimo publici juris factus, ex hac regula oppugnat mysterium *Trinitatis*, ita enim argumentatur: *Opposita in DEO non dantur, unum & trinum simul, sunt opposita* Ergo in DEO non dantur. *Resp.* Abutitur Socinus regulam nostram, nam ea intelligenda est de oppositis, *verè talibus*, Unum & trinum autem in DEO non sunt verè opposita, quia non opponuntur eodem modo, vel non dicuntur de DEO quatenus eodem. *Unus enim DEUS est resp. Essentia; trinus resp. personarum.* Quod verò Socinus c. l. dicit, hanc distinctionem neque extare in sacra scripturâ & cū certissima ratione & veritate manifestè pugnare. Ad id *Resp.*: Et ad 1. Scripturam Sacram continere aliquid *dupliciter*, 1. *Αυτολεξει* *expressè & totidem verbis.* 2. *Κατα διόλογον* *implicitè & per consequentiã.* Si hoc modo vult adferere, distinctionem illam non contineri in Script. S. falsissimum dicit. Si verò *illo* uti videtur, id accipit, eo nihil efficit, nã quæ per consequentiam in script. S. continetur illa æquè vera sunt ac quæ in illa cõtinetur expressis verbis licet id Socino, est aliis, nempe autorib<sup>9</sup> *Artis Nova* non sit ad palatum, & pluribus ostenderemus, si instituti nostri ratio id permetteret Ad 2 dico. Negando adductam distinctionem cum certissimã ratione & veritate pugnare, nam esto, pugnare cū rationes in humanis tale dari exemplum, nim: hominẽ dari qui sit unus essentiã, trinus personis, id tamẽ non pugnabit cū ratione, in divinis. Et quĩ pugnaret Socino? quæ enim ratio nostra plane non capit quo modo cum illis pugnare potest, & quæ Socino simpliciter ignoras quĩ inter ea pugnantiam fingis!

REGU.



## REGULA II.

*Contraria non possunt simul esse in eodem (in gradu summo.)*

## REGULA III.

*Eadem est contrariorum materia (successivè, nisi alterum insit naturâ.)*

## REGULA IV.

*Contraria (primò talia,) sub eodem genere, (si non proximò, saltem remoto) maxime distant (ad id genus.)*

## REGULA V.

*Unum (materialiter sumtum, quatenus unum,) uni tantum (primò & immediatè) est contrarium (in eodem oppositionis genere.)*

## OBJECTIO.

**H**Æ regula contrariatur Theologis nostris qui unanimiter adferunt & ostendunt Antichristum Esse Pötificem Romanum. Si autem unum uni tantum opponitur, Pontifex Romanus non potest intelligi, quia non unus sed plures fuerunt Pontifices Romani. Et opponit hoc Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontif. c. 2. col. 350. Resp. Antichristus non ratione persone sed ratione doctrinæ opponitur Christo, Pontifices Romani autem semper eandem doctrinam tradiderunt & Christo se opposuerunt. Porro unum semper tantum est Pontifex, & plures non nisi successivè, unde semper unum tantum se Christo opponit, quod dum facit Antichristus est.

## REGULA VI.

*Contradictoria (verè talia) nec simul vera, nec simul falsa esse possunt.*

## OBJECTIO.

**H**UIC regula multa obstant, quæ illam falsam esse evincere videntur. 1. Hæ propositiones: *Omnia Entia sunt dependentia, & quadam entia sunt independentia, contradictoriae sunt, & ambæ falsæ.* 2. *Homo quatenus homo, est doctus, Et homo quatenus homo, non est doctus,* iterum contradictoriae sunt, & ambæ falsæ, quia utrumque, & doctum, & non doctum esse, homini competit per accidens. Sicut & 3. sequentes simul falsæ sunt: *Sola bona opera justificant: Non sola bona opera justificant. Solum sancti sunt invocandi, Non solum sancti sunt invocandi. Solum purgatorium culparum maculas eluit, Non solum purgatorium culparum maculas eluit. Sola indulgentia peccatorum*



*penas relaxant, Non sola indulgentia peccatorum penas relaxat. Solus Pontifex in definiendo infallibilis, Non solus Pontifex in definiendo infallibilis, &c. Resp. 1. Ad primū exemplum variè respondere solent Autores, optimè dicitur in illo non rectè institutam esse contradictionem, commode vero institui si in posteriori prop. pro Tè Quidam non substituatur, Non omni, quo factò prior falsa, posterior vera erit. Ad 2. dico: Quidam sunt qui putant ab hâc regulâ excipiendas esse propositiones reduplicativas, quod in istis contingere possit utramque falsam esse. Verùm id non videtur admitti posse nam illæ propositiones aut sunt contradictoriae, aut non. Si hoc ad præsens non spectât, Si illud, cõtradiçtoris possunt simul esse, quod absurdum est. In allato vero exemplo, non utraque falsa sed posterior vera est, non autè hoc vult, homini, quatenus homini competere quod non sit doctus, sed particula reduplicativa ad prædicatum pertinet, adeoque accuratè efferenda est h. m. Homo non est, quatenus homo, doctus, quò modo sanè verissima est. 3. In sequentibus propositionibus, particula Non aut afficit Solum particulam exclusivâ, aut rotam enunciationẽ. Si illud cõtradiçtoris non sunt, Si hoc cõtradiçtoris sunt & posteriores veræ sunt, & non continèt affirmativâ, ut inferre possis. Ergò bona opera justificât, Ergò Sancti sunt invocâdi &c.*

## REGULA VII.

*Oppositorum eadem est scientia (I. quatenus opposita in eadem disciplina tractantur, 2. quatenus unius oppositi cognitio ex alterius cognitione (per accidens quodammodo) dependet, 3. quatenus eadem disciplina ut Dialectica & Rhetorica, opposita probant.)*

## REGULA VIII.

*Inter contradictoria est distantia infinita (h. e. indeterminata)*

## REGULA IX.

*Aprivatione (sequente formam, totali) non datur regressus ad (eundem numerò.) habitum (sive formam, neque ad eandem speciem, immediate, & naturaliter.)*

## OBJECTIO.

*Si hæc regula vera est, quomodo Christus potuit mortuos resuscitare,*

X

tare,



tate, & ex eis visum restituere. *Resp.* ex hâc regula rectè evincitur illud nō factū esse naturaliter sed supernaturaliter per absolutā quandā potentia, & propterea rectè quoque ex illo colligim<sup>us</sup> Christū esse verum Deum.

## REGULA X.

*Transiens ab extremo ad extremum oportet transire per media (secundū formam omnia quidem, quando ex extremis constant.)*

## REGULA XI.

*Media (secundū formam) constant ex extremis contrariis (vel formaliter, vel virtualiter.)*

## REGULA XII.

*Media (secundū formam) sunt ejusdem generis (vel proximi vel remoti.)*

## REGULA XIII.

*Quot modis dicitur unum oppositorum, (quoad æquivocationem) tot etiam dicitur alterum, (si in omnibus significationibus oppositum habeat, & quidem vel sub una vel diversis vocibus.)*

## REGULA XIV.

*Oppositorum (& in specie contradictoriorū ordine in verso, Contrariorum in complexū quando sunt paria, ordine directo nisi prius consequatur per accidens, vel oppositio sit secundum excessum & defectum. Relativorum, ordine directo quando consequuntur per se, & Privativorum, nisi altera negatio tollat ipsum subiectum alterius privationis) opposita sunt consequentia, (in eodem oppositionis genere.)*

## OBJECTIO.

**E**X hâc regula rectè sequitur: quod bona opera salvēt quia mala opera damnant. *Resp.* In contrariis procedit regula, si contraria sunt paria. Bona opera autem sunt imperfecte bona, mala opera verò sunt perfecte mala.

## CAPUT XV.

## DE PROPOSITIONIBUS.

## REGULA I.

*Ab ea quodres est, (non ratione existentia, sed ratione identitatis & compositionis) vel non est, oratio (formaliter) dicitur vera vel falsa.*

## OBJECTIO.

**S**acras literas veras esse credimus, propterea, quod à Deo sunt profectæ. Ergo iudicium de veritate licet sumere ab autoritate dicentis. *Resp.* Sacras literas veras esse credimus quod à Deo sunt profectæ, non quod per hoc formaliter veræ sint, sed arguitur, scilicet nempe quia Deus ipsa veritas est, & mentiri nequit, ideo rectè arguimus & colligimus ex eo id, quod Deus dicit, cum objecto convenire. RE.



## REGULA II.

Talia sunt subjecta (ratione significationis) qualia permittuntur à predicatū (& cōtrā.)  
**OBJECTIO.** Quando dico: *humana natura est omnipotens, & c.* Subjectū, *humana natura* nō admittit talia predicata ut *omnipotēs, & c.* *Pecc.* Humana natura non quidem, *in se & ratione sui* considerata, talia predicata admittit ratione *à seorsu* autem, quatenus nim. transumpta est in *ἰσχύον λόγῳ*, illa omninō admittit.

## REGULA III.

Quando conditionalis est vera, si antecedens est necessarium (ex intrinsecā terminorum connexionē), etiam consequens est necessarium.

## OBJECTIO.

Hæc regula omnem libertatem & indifferentiam voluntatis humanae tollere & Calvinianis favere videtur qui hominem necessariō peccare statuunt. Argumentum autem tale formari potest. *S. Deus ab aeterno necessariō præcēdit, Adamū, Judam, & quotque alios homines peccaturos, necessariō quoque peccabunt. At id præcēdit Deus ab aeterno, Ergo, Minor in confesso est & Major probatur per regulā nostram, stat ergo cōclusio.* Hoc argumentū ut fatetur *B. Mesnerus Phil. Sabr. part. 1. sect. 4. c. 9. qu. 4.* difficillimum est, & Autores multum torfit. Unde *Vviclefus* dixit hoc argumentum tam efficax esse, ut *Armatus* viginti annis in ejus solutione laboraverit, & tandem vi ejus coactus dixerit, Deum in suā præcēntiā posse errare, quod tamen *Vviclefus* falsō illi imposuit. *Vid. Bec. Theol. Schol. part. 1. tract. 1. c. X. qu. 12. Resp.* In regula nostra intelligitur per *Antecedens necessarium* quod est tale ex intrinsecā connexionē terminorum, præcēntiā DEI verō est tantū *necessarium ex suppositione, Vid. Becanus c. 1. & B. Sicogrius in d. sp. ac. pr. 4. §. 13. C. seq.*

## REGULA IV.

Ad propositionē affirmatīvā finitā ad negatīvā infinitā (in finiti prædicati totaliter, in eadem quantitate.) V. C.

REGULA V. (in eadem quantitate.) V. C.

Ad negatīvā finitā ad affirmatīvā infinitā (in finiti prædicati totaliter, in eadem quantitate.) V. C.

OBJECTIO. (titate.) V. C.

Hæc regula nō procedit, i. quando prædicatū negatīvā finitā est conjunctū, quia nō videtur sequi. *Brutū nō est animal intelligēs, Ergo, Brutū est, nō animal intelligēs, quia hujus sensus est quod Brutū nō sit vidē animal, sit tamē intelligēs, at utrūque falsum est, quādo propositiones sunt re. applicatæ, Quia nō videtur sequi: Homo, quatenus homo, nō est albus, E. Homo, quatenus homo est, nō albus, R. Ad 1. Dubitari potest, an negatio infinitās, infinitet solum proximā vocē, & putamus nos, posterioris propositionis sensum esse hunc: Brutū est id quod nō est animal intelligēs. Ad 2. Posterior propositio veræ est, particula autē reduplicatī a Quatenus nō ad subjectū sed ad prædicatū referenda est, scilicet dūm *Philosophū, Prior. c. 38. & B. Stahlianū in d. sp. de nonnullis ad libror de in interpretat. c. 8. prior. Analis* pertinentibus & plures alios, ad eodē totum prædicatū infinitari debet, quod si sit, posterior est hæc: *Homo est, nō quatenus homo a. b. u. u. vel Homo est id, quod nō est, quatenus homo, album.* Et hæc propositio verissima est.*

REGULA VI. A comparatīvā (proprie sumto) ad positīvā affirmatīvā V. C.

OBJECTIO. Furtum simplex est melius Sacrilegio, nec tamen furtū est bonum. *Resp.* Comparatīvus proprie sumi debet. Sumitur autem proprie, quādo exponitur per suum positīvum cum adverbio *n. agis. Improprie*, erō, ut exponitur per oppositum suū positū, i. cum adverbio *minus.*

REGU-



REGULA VII.

*A positive ad comparativum (proprie sumtum) negative V. C.*

REGULA IX.

*Abest versus adjecti, (accidentalis intrinseci vel intrinseci, non denominantis ab actu intellectus, phantasie vel appetitus, positivi vel privativi, si privet formam intrinsecam,) ad est secunda adjecti (ejus temporis, quod per predicatum importatur) V. C.*

OBJECTIO.

DE Christo dicitur *Micha*, i. quod egrius sit ante principium & ante dies seculi. Ita enim legitur. **וְאִנֹּכִי עִלְיָהּ מִיָּמֵי קִדְמוֹת** *Et egrius estiones (numerus pluralis hic ponitur pro singulari, ad denotandam excellentiam. Vid. Glossum Gramate. Sacra lib 3, tract. 1. cap. 24.) ejus, ante principium, ante dies seculi.* Ex quo sequeretur juxta regulam nostram quod Christus fuerit ante principium, & ante dies seculi, ad eoque sit aeternus & verus Deus. Nihilominus tamen illud negant, illi qui divinitate Christi oppugnant. *Resp.* Ex hoc dicto *Micha* firmissime adstruitur aeternitas & divinitas Christi, nam qui Christus potuisset ab aeterno egredi, si non fuisset ab aeterno. *Et* enim *quoniam sunt quo pacto loquentur, aut ambulabunt.* *Arist.* 2. *Met.* 1. 16. Si autem est aeternus, est verus Deus. Et potest illud opponi omnibus qui Christi divinitatem negant, ut *Ch. ontius* *Corinthiana*, *Samosatenensis*, *Aëtiana*, *Eunomiana*, *Arianis*, *Moliniana* *Eccl.* & *Austriacana* in communi. *Dicit:* Si hoc Argumentum: *Quicumque egressus est ab aeterno, ille est aeternus, & per consequens verus Deus: Ad Christus, egressus est ab aeterno Ergo Est aeternus, & per consequens verus Deus, cujus Major probatur per regulam nostram, & Minor ex dicto Micha, firmissime probat aeternitatem & divinitatem Christi, cur non acquiescunt & concedunt illam ad versari? Negent ergo aut minorem, aut majorem necesse est, eum impossibile sit concessis praemissis negare conclusionem quae est argumenti s. verè sequitur ex praemissis.* *Resp.* Non majorem quae regula nostra est, sed minorem quae est scripturae apud *Micham* c. i. negant. Putant verò ex hoc dicto *Micha* non posse probari aeternitatem Christi eò quod vocabula **עולם** & **קדם** quandoque significant tempus & durationem limitatam. Verum hae exceptione im disti s. minoris non effugiunt, nam, non solum ad versarius concedemus, quod quandoque & alibi nominata vocabula durationem limitata denotent, sed etiam, quod hoc in loco **ימי עולם** *Dies seculi, non ipsam aeternitatem significant, largiemur. Notamus autem, quod illa vocabula עולם & קדם habeant praefixum Q, quod, quando praefigitur vocibus durationem s. tempus significantibus, idem denotat quod, Ante, unde sensus minoris est, non quod Christus sit, egressus in principio & in diebus seculi, sed ante principium & ante dies seculi. At omne quod ante principium esse vel fuisse dicitur, phrasi Scripturae aeternum est, & per consequens verus Deus, quia de fide est ante principium, propter Deum nihil fuit unquam, omnia verò quae praeter illam sunt producta esse in Principio. *Respon.**

F I N I S.

ET SOLI DEO GLORIA.



